Digitized by Google

Digitized by Google

A
2-43

Digitized by Google

Digitized by Google

2-29 BI



Jo. Dom. Campiglia inv. et delin. P. Ant. Pazzi Sculp.

BIBLIOTHECÆ MAGLIABECHIANÆ
EX
DONO AUCTORIS

Digitized by Google

Digitized by Google

2-79 II

ELOGIA

S.R.E. CARDINALIUM

PIETATE DOCTRINA LEGATIONIBUS

AC REBUS PRO ECCLESIA GESTIS

ILLUSTRIUM

A PONTIFICATU ALEXANDRI III.

AD BENEDICTUM XIII.

APPOSITA EORUM IMAGINIBUS

QUAE IN PINACOTHECA

PHILIPPI CARDINALIS DE MONTIBUS

SPECTANTUR



Romae Typis Antonij de Rubeis apud Pantheon 1751.
Superiorum permiſsu

Digitized by Google



BEATO PETRO
APOSTOLICI ORDINIS PRINCIPI
A QUO CHRISTI DIVINITAS
MUNDO MANIFESTATA EST
CUI ROMA DEBET
QUOD DETERSA VETERIS IMPIETATIS CALIGINE
EVANGELICÆ VERITATIS LUMEN AGNOSCERET
ET PER EJUS SEDEM CAPUT MUNDI EFFECTA
LATIUS PRAESIDERET RELIGIONE DIVINA
QUAM DOMINATIONE TERRENA
CUIUS IN HEREDIBUS
VIVIT POTESTAS REGNAT MAIESTAS
EXCELLIT AUCTORITAS
HAEC S.R.E. CARDINALIUM ELOGIA
DEDICAT ET CONSECRAT
PHILIPPUS CARDINALIS DE MONTIBUS

Digitized by Google



Io. Dom. Campiglia inv. et delin. — Philippus Morghen f.

P R AE F A T I O.

IMagines ad vivum expreſſas Illuſtrium Virorum, qui de Eccleſia benemeriti, & in S. R. E. Cardinalium Collegium cooptati, praeclara poſteris exempla reliquerunt, pertinaci multorum annorum ſtudio perquiſitas, ſeu pictas, ſeu delineatas in Bibliotheca noſtra

dedicavimus, imitati Antiquos, quibus mos fuit in Bibliothecis ſimulacra eorum exponere. *Plin. l.* 35. *num.* 2.
„ quorum immortales animae in locis
„ iiſdem loquuntur. Aſinii Pollionis
„ hoc Romae inventum, qui primus
„ Bibliothecam dicando, ingenia ho-
„ minum Rempublicam fecit. Ale-
„ xandriae, & Pergami Reges, qui
„ Bibliothecas magno certamine inſti-
„ tuere .... imaginum amore flagraſ-
„ ſe quondam teſtes ſunt & Atticus
„ ille Ciceronis, edito de his volumine,
„ & M. Varro benigniſſimo invento,
„ inſertis voluminum ſuorum foecun-
„ ditati non nominibus tantum ſeptin-
„ gentorum illuſtrium, ſed & aliquo
„ modo imaginibus, non paſſus inter-
„ cidere figuras, aut vetuſtatem aevi
„ contra homines valere „. Addit de Attico Cornelius Nepos, *in ejus vita*:
„ Verſibus, qui honore, rerumque ge-
„ ſtarum amplitudine ceteros Roma-
„ ni Populi praeſtiterunt, expoſuit,
„ itaut ſub ſingulorum imaginibus fa-
„ cta, magiſtratuſque eorum non am-

„ plius

V

„ plius quaternis, quiniſque verſibus „ deſcripſerit; quod vix credendum „ ſit, tantas res tam breviter potuiſſe „ declarari.

Eos vero, qui amplitudine ceteros praeſtiterunt, minime dubium eſt Senatores fuiſſe, nempe ex ampliſſimo eo Ordine, cujus ſtatutis, ac legibus Orbis terrarum regebatur. Cum autem eliminata ſuperſtitione facta eſt Roma „ Civitas Sacerdotalis, & Regia „ ut inquit Leo Magnus: *In Serm. 1. in Nat. SS. Petr. & Paul.* Sacrum Cardinalium Collegium Romano Pontifici ad regendam univerſam Eccleſiam adjunctum Sacer Senatus appellatus eſt, Othone Friſingenſi teſte, & S. Petrus Damiani, magnum hujuſce Senatus decus, Collegas ſuos vocabat „ Spirituales univerſae Eccleſiae „ Senatores „ quo celſiſſimae Dignitatis titulo eos hortabatur, atque excitabat „ ad ſpiritualis Imperii Chri„ ſti decus amplificandum, totum ut „ terrarum Orbem Chriſto ſubſterne„ rent; nec in Chriſtianae Reipubli-

„ cae

„ cae gloria, & ſanctimonia promo-
„ venda minus ferverent, quam Ro-
„ manus olim Senatus ad propagan-
„ dum terreni imperii principatum.

Et ſane Cardinales Romanae Eccleſiae, quae ceterarum caput eſt, veluti primaria ampliſſimi corporis membra, parteſque praecipuae fere ab incunabulis Catholicae Fidei Summo Pontifici de rebus maximis deliberanti praeſto ſemper fuerunt; imo quod praeclariſſimum eſt, ac prope divinum, cum Capite conjuncti ſpeciem exhibent univerſalis cujuſdam, domeſticique Concilii, cujus eſt de moribus, de diſciplina, de Fide ipſa ſumma auctoritate decernere, ac definire. Quamobrem omni aetate ex omnibus terrae partibus Romam appulſi praeſtantiſſimi homines, in Romanum Clerum adſcripti ſunt, ut ex centro unitatis patriae ſuae quiſque, atque adeo univerſae Reipublicae Chriſtianae pro rerum, temporumque opportunitate conſulerent. „ Ad hanc enim Eccle-
„ ſiam, inquit S. Irenaeus, *Contra hae-*

re-

reſes l. 3. c. 3. „ propter potiorem prin-
„ cipalitatem neceſſe eſt omnem con-
„ venire Eccleſiam; hoc eſt eos, qui
„ ſunt undique Fideles, in qua ſem-
„ per ab his, qui ſunt undique, con-
„ ſervata eſt ea, quae eſt ab Apoſto-
„ lis traditio.

Alexandro III. Pont. Max. acceptum referre debet maximum ſplendorem ſuum Sacer Cardinalium Senatus, ad quem unum, ut motuum, atque ſchiſmatum cauſas, occaſioneſque e medio tolleret, amoto, & excluſo inferiori Clero, tranſtulit eligendi Pontificis poteſtatem. Decrevit enim: *Mabil. Comment. in Ord. Rom. p.* 115.
„ ut a ſolis Cardinalibus, quod Ni-
„ colaus II. jam ſtatuerat, ſed obtine-
„ re nequiverat, Pontifex eligeretur,
„ itaut ex tribus duae partes in unum
„ conſpirarent. Nec difficile fuit Ale-
„ xandro Clerum ab electione remo-
„ vere, aſſumtis in Ordinem Cardi-
„ nalium, qui inter Clericos praeci-
„ pui erant, vel eorum officiis peni-
„ tus extinctis.

Digitized by Google

Neque vero ullum hoc majus eſt in Chriſtiana Republica decus, neque munus in univerſa Religione hoc praeclarius, aut praeſtantius. Nam teſte Card. Valerio *In Opuſc.*, *cui titulus Cardinalis* „ Electio Summi Pon-
„ tificis omnium conſultationum eſt
„ maxima. Agitur enim de homine
„ ad altiſſimum faſtigium evehendo;
„ de divino homine ex multis diligen-
„ do; eodemque tempore agitur de
„ Dei gloria procuranda, & de Chri-
„ ſtiani populi ſalute. Qua in re quan-
„ tum ſit momenti, teſtantur hiſto-
„ riae, cum multae in Eccleſia Dei
„ progreſſiones factae ſint Sanctiſſi-
„ morum Pontificum exemplo, & ope-
„ ra; & cum interdum non optimo-
„ rum quorundam Pontificum indul-
„ gentia, nonnulla ſcandala in popu-
„ lo Dei ſint orta, itaut jure optimo
„ Bonus Pontifex ſalus populi Chri-
„ ſtiani dici poſſit.

Hinc exorſi ſumus ſeriem hanc Cardinalium a Pontificatu Alexandri III., veluti a memorabili epocha, qua mi-

rifice aucta eſt eorum dignitas, quaque inpoſterum Pontifices admonerentur, eos ſolos ad tantum honoris gradum evehendos eſſe, quorum vita ceteris Clericis norma eſſe poſſet, quique virtutum inſignibus, ſanctaque morum diſciplina oculos omnium in ſe facile converterent. Et profecto nulla aetas fuit adeo infelix, nullum ſeculum adeo ſterile viris probis, quod non aliquem S. R. E. Cardinalem eximia virtute praeſtantem protulerit. Quod quidem argumentum eſſe nemo non videt, Sanctitatis Eccleſiae, in qua nulla temporum iniquitate, nullaque vitiorum colluvione exempla innocentiae, veraeque pietatis defuerunt. Protexit enim Eccleſiam Deus, protegetque juxta fidem promiſſionis ſuae uſque ad conſummationem ſeculi, adeout, ſi alicubi laborare Fides poſſit, aut labefactari Religio, Romae ſane, nempe in Petra fundamentali Eccleſiae, utraque ſalva ſemper fuerit, ſemperque futura ſit firmiſſima.

Prae-

Digitized by Google

Praeſentiſſimam hanc Dei opem, perpetuamque cuſtodiam teſtantur cum plurima alia, tum maxime Nomina Cardinalium hoc volumine deſcriptorum. Alii enim vitae ſanctitate, & gloria miraculorum floruerunt: alii ſtudio Sacrarum Literarum, omnique Eccleſiaſticarum Legum, Decretorumque cognitione: alii bene imperandi arte, & in adminiſtranda republica ſapientia ſingulari. Hi bellica laude jura Eccleſiae ſartatecta cuſtodierunt: illi politicis negotiis praeſtantes Imperium Sacerdotio ſine querela parere docuerunt: multi Pontificum in tribulatione ſocii, eos in Paſtorali cura mirifice adjuverunt, & in explicanda in Conſiſtorio ſententia ſua eam prudentiam, gravitatem, fortitudinem adhibuerunt, quae tantos in tanto conventu Senatores maxime deceret: nonnulli denique Apoſtolico robore muniti pro Aris tuendis labores omnes ſuſceperunt, nec opes, nec vitam ipſam pro incolumitate Eccleſiae profundere dubitaverunt.

Quid

Quid multa? Omnes eo animo fuerunt, eaque ſententia, ut quum ad hunc honoris gradum perveniſſent, crederent non tam dignitatis nomen habere ſe, quam laboris neceſſitatem, non otii locum eſſe, quem occuparent, ſed negotii. Noverant in magna fortuna minimam licentiam eſſe, quum nihil ad laudem, vel obtrectationem tam obvium ſit, quam exterior ſpecies; in qua eo diligentius eſt vigilandum, quo difficilior ejus eſt moderatio. „ Magnum enim eſt, inquit Ci-
„ cero, tueri perſonam Principis in Re-
„ publica, quae non animis ſolum, ſed
„ etiam oculis debet ſervire Civium.

Propoſueram ſola Cardinalium Elogia ſcribere, ſed non abs re putavi futurum, ſi inter eos adnumerarem Othobonum Fliſcum, Franciſcum Piccolomineum, Marcellum Cervinum, Jo. Baptiſtam Caſtaneum, Jo. Antonium Facchinettum, & Alexandrum Mediceum, qui in Pontificum ſerie, Hadrianus V., Pius III., Marcellus II., Urbanus VII., Innocentius IX.,

Leo XI. appellantur ; quandoquidem notiores ſunt, illuſtrioreſque rebus geſtis ante Pontificatum, quam in Pontificatu ipſo, quem vix adepti, e vivis erepti ſunt. Conceptam itaque ex eorum creatione laetitiam mors inopinata cum publico luctu, deſiderioque commutavit. De Cervino Pontifice Max. loquens Panvinius „ In illo, „ inquit, magnum ſanctitatis ſpecimen „ in tam corrupto ſeculo maxime re- „ lucebat, qui nobis non ullo ſuo da- „ mno, ſed noſtro maxime tam cito „ fuerit ereptus, majore profecto, & „ Reipublicae Chriſtianae jactura, „ quam ullo ſuo detrimento. Fuiſſet „ enim, ſi quiſquam alius, Chriſtia- „ nae Reipublicae neceſſarius Ponti- „ fex miſeris hiſce, & calamitoſis tem- „ poribus „. Quae Panvinii ſententia in trium ſequentium Pontificum tempora cadere poteſt opportune, juſteque : non enim ea fuerunt feliciora temporibus Marcelli II., neque Marcello II. Urbanus VII., Innocentius IX., & Leo XI. putandi ſunt in-

tegri-

tegritate, zelo, caritate fuiſſe inferiores.

At neque omnes, de quibus hìc agitur, Cardinales numeris omnibus abſoluti fuerunt. Aliqui enim ambitione laborare viſi ſunt, nonnulli faſtu, luxuque tumeſcere; multi denique, ut ceteris hominum conditionibus accidit, vitiis non carere. Iſtaec qui queritur, animum convertat ad Collegium Apoſtolicum, in quo ipſo contentio facta eſt, quis eorum videretur eſſe major. Senatus Cardinalium, uti advertit Guido Card. Bentivolus in ſuis Comment., conſtat plerumque ex Viris Principibus, & ſaepe Regio ſanguine ortis, quos nullum Religioſorum hominum tyrocinium ſubegit, nulla Thebaidos diſciplina exercuit. Magnis patrimoniis, opulentiſque Sacerdotiis ditati, ſumma auctoritate ornati, magnis provinciis praefecti, rem magnam ſane praeſtiterunt, quod de tanto gradu vertigo aliqua in praeceps eos non dejecit, non peſſumdedit vis potentiae, aut illecebra voluptatum.

Op-

Optimus ille eſt, qui minimis urgetur. Praeterquamquod ſi quid vitii fuit in aliquo eorum, qui hic laudantur, aut res praeclare ab eo geſtae, aut inſignis aliqua in Eccleſiam ejus beneficentia, aut virtus denique quaepiam ſingularis apud aequos rerum judices illud obtegere non potuerunt ſolum, ſed etiam debuerunt.

Antiqua quidem eſt Romanorum Pontificum querimonia, quod quum Sacrum Senatum ſuppleturi ſint, aut impleturi, non occurrant magnam eam curam ſibi animo volventibus Viri ſimiles Albergatis, Ximeniis, Turnoniis, Polis, Borromaeis, Baroniis, Bellarminis, aliiſque ejuſmodi hominibus egregiis, & excellentibus, quibus factae a ſuperioribus aliquibus Pontificibus creationes maxime illuſtratae ſunt. At remiſſius de ea re querendum eſſe admonet, quod in Geſtis Caroli Magni literis proditum eſt. Rem narrat, & quidem memoratu digniſſimam Sancti Galli Monachus „ *Rer. Gall. Script. To. v.* his verbis:

„ Glo-

„ Glorioſiſſimus Carolus per totum
„ Regnum ſuum ſtudia literarum flo-
„ rere conſpiciens, ſed ad maturita-
„ tem Patrum praecedentium non per-
„ venire condolens, & pluſquam mor-
„ tale laborans, in hanc taediatus
„ vocem erupit: O utinam habe-
„ rem duodecim Clericos ita doctos,
„ omnique ſapientia ſic perfecte in-
„ ſtructos, ut fuerunt Hieronymus,
„ & Auguſtinus. Ad quod doctiſſimus
„ Albinus ex ipſorum comparatione
„ merito ſe indoctiſſimum judicans,
„ in quantum nullus mortalium in
„ conſpectu terribiliſſimi Caroli au-
„ dere praeſumeret, maxima indi-
„ gnatione concepta, ſed parumper
„ oſtenſa, reſpondit: Creator caeli,
„ & terrae ſimiles illis plures non ha-
„ buit, & tu vis habere duodecim?

Erat in animo Cardinalium noſtrorum Imagines tabellis expreſſas proponere, ut hic quoque exhibiti cum moribus vultus, integram ſpectatoribus voluptatem afferrent. Verum cum illae nonniſi difficili labore,

longoque tempore incidi queant, ut ab hoc abſtinerem, conſuluit ingraveſcens aetas, iis vitae incommodis, difficultatibuſque affecta, quae me vel maxime invitum in otium redegerunt, de quo tamen non minus, quam de negocio reddenda ratio eſt ab iis, qui ad hunc Honoris Gradum aſcenderunt, ad quem evexit me communis Patriae amore, & conſtanti amicitia, qua a prima uſque aetate me illi devinctum fuiſſe jure, & merito gloriari poſſum, BENEDICTUS XIV., is nempe Pontifex Maximus, qui cum adhuc in Purpura eſſet, prae magnis, abſolutiſque virtutibus ſuis ſuprema Tiara digniſſimus ab omnibus bonis praedicabatur. Nec ſpem eorum fefellit Apoſtolica ejus ſolicitudo, a qua fructus ampliſſimus in univerſam Eccleſiam redundat. Recenſere hic ſupervacaneum eſt ejus perſpicaciam, zelum, ſolertiam, quae ſumma in eo eſſe nemo ignorat; & praecipue omnigenam doctrinam, quam Eterodoxi ipſi admirantur, pa-

lam

lam confitentes, nullum multis ab hinc annis BENEDICTO XIV. doctiorem, & ſapientiorem Apoſtolicam Sedem occupaviſſe.

Ex Ciacconii Chronologia praecipue cum notis Oldoini ſupputavimus tempus, quo Cardinalis quiſque creatus eſt. Alicubi tamen abivimus in Balutii ſententiam in notis ad Vitas Pontificum, qui Avenione ſederunt, mutuatis indidem Titulis, atque Diaconiis in ipſos collatis, cum creati ſunt, necnon Epiſcopatibus ſuburbicariis, ad quos poſtremo promoti ſunt. Praeterivimus mutationes Titulorum, Diaconiarum, aut, ut ajunt, optionum, & eorumdem Epiſcopatuum „ quarum mutationum „ verba ſunt Panvinii „ *L. De VII. Urbis Eccleſ. C.* 3. „ initium ortum eſt tempore Alexan„ dri V. in Concilio Piſano Anno 1410. „ in quo cum ob ſchiſma contigiſſet „ Sacerdotia Cardinalitia duos ad mi„ nus habere Cardinales, unum unius „ obedientiae Avenionenſis, alterum „ alterius Romanae, ſublato ſchiſma-

„ te,

„ te, unitiſque utriuſque Collegii Car-
„ dinalibus, & novo Pontifice creato,
„ has mutationes fieri tunc neceſſe
„ fuit, ut unus ex duobus, qui in
„ ſchiſmate Epiſcopatum Tuſculanum
„ obtinebat, eo alteri dimiſſo, Sabi-
„ num tunc vacantem optaret. Ita in
„ Titulis, & Diaconiis factum eſt.
„ Quae res quamquam neceſſaria tunc
„ eſſet, in exemplum tamen tracta,
„ poſtea frequentari coepta eſt, atque
„ hac ratione factum videmus, ut ali-
„ quando Cardinalis Diaconus initio
„ creatus tres, & quatuor Diaconias,
„ poſt Presbyter factus totidem Titu-
„ los, demum Epiſcopatus omnes coo-
„ ptârit.

Neque ex Ciacconio ſolum, & Balutio Elogiorum materiam hauſimus, ſed etiam ex Epiſcopo Aeduenſi, *Flor. Hiſt. Sac. Coll. Card.*, Petramelario, Georgio Eggs, Sandero, Nicio Erythraeo, necnon ex aliis bonae notae Scriptoribus peculiarium vitarum, quas nobis pro rerum opportunitate Bibliotheca noſtra ſuppeditavit. Hoc

prae-

praemonere nedum honeſtum eſt, ſed & juſtum, ac neceſſarium. Nam quorum authoritate niſi ſumus, eorum ſaepe non verbis ſolum, ſed & ſententiis ipſis uſi ſumus, quum res geſtas Cardinalium noſtrorum nullo aptiori, decentiorive apparatu lectiori exhiberi poſſe animadverteremus. Itaque quemadmodum Magnorum Virorum Virtutes Elogia merentur, ita laudis plurimum tribuendum eſt iis, quorum opera, ac ſtudio profeciſſe nos non modice ingenue confitemur.

Si forte quis in his Elogiis minus animadverterit obſervatam legem a M. Tullio *L.* 2. *de Orat.* hujuſmodi lucubrationibus praeſcriptam „ Omnium ſententiarum gravitate, inquit ille, omnium verborum ponderibus eſt utendum. Accedat oportet, oratio varia, vehemens, plena animi, plena ſpiritus, plena veritatis „ ultimam ſententiae partem ſane non deſiderabit. Omnia enim, quantum in nobis fuit „ plena ſunt „ veritatis „. Hanc enim, ut in omni

vita, ſic & in omnibus lucubrationibus unice coluimus, & amavimus. Collegimus enim ex probatioribus, ſynchroniſque auctoribus geſta, & dicta illuſtrium horum Cardinalium, rati in ejuſmodi opere non mediocrem eſſe utilitatem: quod, & ſentit Aeduenſis Epiſcopus eodem in argumento verſatus, *Flor. Hiſt. Sac. Coll. Praefat.* his verbis „ In quo opere „ edendo non parva, aut levis uti- „ litas eſt propoſita, ut nempe ha- „ beant ſemper ad manum ipſi Emi- „ nentiſſimi Cardinales, quos ex An- „ tecesſoribus ſuis vitae duces, ac „ praeceptores ſequi, & imitari, & „ in exemplum ſibi proponere de- „ beant „ ; prae oculis ſemper habentes, ſeſe a divina Providentia Eccleſiae gubernaculis admotos eſſe; illius ſcilicet Navis, in qua, ut monet S. Ambroſius *In Luc. Lib.* 4. *Cap.* 5. „ navigat prudentia, abeſt perfidia, „ fides ſpirat.

IM-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſs. P. Mag. Sac. Pal. Apoſt.

F.M. de Rubeis Patriarcha Conſtantinopolitanus Viceſg.

IMPRIMATUR.

F. Joſeph Auguſtinus Orſi Ord. Praed. Sac. Pal. Apoſt. Mag.

Digitized by Google

Digitized by Google

S. GALDINUS MEDIOLANEN.

EJUSDEM ECCLESIAE ARCHIDIAC. ET CANCELLARIUS
AB ALEXANDRO III. ANNO MCLXV. CR. PR. CARD.
TIT. SANCTAE SABINAE,
SED UT BARON. SCRIBIT,
SANCTAE SUSANNAE AD DUAS DOMOS.
OBIIT MEDIOLANI 18. APR. 1176.

Ex nobili Selarum gente ortus, & literarum ſtudiis ſua tempeſtate clarus, ad ampliſſimos honorum gradus iter ſibi virtutis pariter, & doctrinae meritis aperuit. Cum Eccleſia Schiſmaticorum diſcordia agitaretur, ad Alexandrum III. tunc in Galliis profugum ſe contulit, a quo in Italiam reduce Presbyter Cardinalis ordinatus, Mediolanenſi Eccleſiae Paſtor praeficitur. In Gallia Ciſalpina Sedis Apoſtolicae Legatus conſtituitur. Patriam ab Aenobarbo dirutam reſtauravit, Alexandriam ad Tanarum flumen in honorem Alexandri III. a fundamentis extruxit, Ticinum Friderici partes ſecutum Interdicto ſubjecit: omnes Italiae Praeſules ab Aenobarbo electos exautoravit; denique pacem inter Fridericum & Urbem Mediolanenſem feliciter componens, Clero decorem, populo tranquillitatem, Deo cultum honoremque reſtituit. Eximius Orator cum ad populum verba faceret non hominis, ſed Dei ſpiritus in eo loqui videbatur. Adverſus Catharorum haereſim luculentam orationem habens, rupta vena, conſummato ſui certaminis curſu in ipſo ſuggeſtu, adſtante Clero ſuo, & populo ſpiritum Deo reddidit. Ob virtutes, & miracula inter Sanctos relatus.



Digitized by Google

CHUNRADUS DE WITTELESBACH GERMANUS

AB ALEXANDRO III. ANN. MCLXIII CR. PR. CARD.
TIT. SANCTI MARCELLI,

DEINDE EPISCOPUS SABINENSIS.

OBIIT IN BAVARIA AN. 1186.

FAmilia opibus, & potentia clariſſima natus, e qua Bavariae Duces, & Palatini Rheni originem ducunt, primum Archiepiſcopus Salisburgenſis creatus, deinde promovente Friderico I. ejus conſanguineo ad Moguntinam Eccleſiam translatus eſt. Ab eodem Imperatore paulo poſt Sede pulſus, quod rejiceret Anti-Papam dictum Victorem IV. confugit ad Alexandrum III. in Gallia tunc Turonenſe Concilium habentem; a quo creatur Cardinalis S. Marcelli, retento Eccleſiae Moguntinae Titulo; mox Epiſcopus Sabinenſis, tum Soranae Eccleſiae Adminiſtrator: primus omnium Cardinalium, qui novo exemplo pluribus ſimul praefuit Eccleſiis. Foedus Alexandrum inter, & Fridericum Venetiis initum teſtimonio ſuo firmavit. Sub Coeleſtino III. praeclara functus Legatione in Syria, ut Regni Proceres in Saracenos excitaret, Leonem in Armeniae Regem ſacravit, & diademate ornavit, quod rem chriſtianam mirifice promoveret. Aliam quoque obiit Legationem in Hungaria, ut res inter Emericum, & Andream Belae filios de Regno certantes componeret; deinde in Germania, ut partes Othonis IV, cui Pontifex favebat, ab una parte Electorum in Imperatorem electi tueretur contra Philippum Svevum ab altera parte electum: quae duo Chunradus egregie praeſtitit, ejuſque opera in Hungaria Emericus regnavit. Cum rediret ad Eccleſiam ſuam, morbo correptus in Bavaria plenus dierum, & operum bonorum in pace quievit.

Digitized by Google

B. HENRICUS IN CASTRO MARSIACO

PROPE CLUNIACUM NATUS

ABBAS CLARAVALLEN.

AB ALEXANDRO III. CR. CARD. EPISCOP. ALBANEN.

OBIIT ATREBATI 14. JUNII 1188.

Monaſtico habitu in Claravalle ſuſcepto, ob praeclaras animi dotes votis omnium in ejuſdem monaſterii Abbatem aſſumptus ita ſe praeclare geſſit, ut virtute ad D. Bernardum proxime accedere videretur. Ab Alexandro III. ad Lateranenſe Concilium vocatus, Epiſcopus Albanen., licet invitus conſecratur. Legatus ad Provincias Tranſmontanas adverſus Albigenſium conatus, Lugdunenſem & Narbonenſem Archiepiſcopos, quod remiſſius agerent, in ſpiritu vehementi de gradu movit, & in Abbates plures ac multarum Eccleſiarum Praeſules animadvertit. Defuncto Ferrariae Urbano III. cum Cardinales fere omnes Henricum Pontificem acclamarent, vir ſanctus invicto animo ſupremam hanc dignitatem rejecit, auctorque fuit electionis Gregorii VIII, a quo Legatus ad Fridericum Aenobarbum, eum toties relapſum ſacra ſua eloquentia demum Clementi III. reconciliavit. Pace Eccleſiae reddita Fridericus ipſe Signo Crucis in Infideles ab Henrico inſignitus eſt. Galliae, & Angliae Reges amicitiae foedere conjunxit, & gravia diſſidia inter Eccleſiam Atrebatenſem, & Flandriae Comitem compoſuit. Atrebati in morbum incidit, & morti proximus in Templum ferri ſe juſſit, & ante Aram D. Andreae ſacramentis munitus placidiſſime animam Deo reddidit. Vir mirae ſanctitatis, profundae humilitatis, zelique plane Apoſtolici. Ejus Corpus ad Claramvallem delatum inter SS. Bernardum, & Malachiam tumulatum eſt.

Digitized by Google

GUILIELMUS E COMITIBUS BLESIAE ET CAMPANIAE

ARCHIEPISCOPUS RHEMEN.

AB ALEXANDRO III. ANN. MCLXIII. CR. PR. CARD. TIT. SANCTAE SABINAE,

MOX EPISCOPUS PRAENESTIN.

OBIIT RHEMIS ANN. 1202.

THeobaldi V. Comitis Campaniae, & Bleſenſium cognomento Magni filius, Carnotenſem, mox Senonenſem, demum Rhemenſem rexit Eccleſiam. Ab Alexandro III. in Lateranenſi Concilio Cardinalis renunciatur. Tutorem egit Philippi Auguſti, quem Rhemis in Regem coronavit, eique iter Hieroſolymitanum inſtituenti in Aede Dionyſiana tribuit ſacrae peregrinationis inſignia. Haereticos quamplurimos in Belgio, qui Infantium Baptiſma, & ſacram Euchariſtiam reſpuebant, de medio debitis poenis ſuſtulit. Sub Alexandro III. Legationem obivit apud Henricum II. Angliae Regem pro Sancto Thoma Cantuarienſi Archiepiſcopo, de cujus pretioſa morte duas ſcripſit ad Pontificem Epiſtolas. Innocentii III. Legatus Coloniam Agrippinam contendit, ut Schiſma in Eccleſia Moguntina poſt diſceſſum Cardinalis Chunradi de Wittelesbach exortum, extingueret. Ad Eccleſiam ſuam redux Legatione in Galliis ad extremum uſque vitae ſpiritum functus eſt. Eidem Alexander III. Epiſtolam Decretalem dedit, qua illi, ac Succeſſoribus vetus Privilegium coronandi, & ungendi Reges Francorum innovavit, & confirmavit.



le Potrasche sc

S. ALBERTUS EX DUCIBUS LOTHARINGIAE INFERIORIS

EPISCOPUS LEODIENSIS

A COELESTINO III. ANNO MCXCII. CR. CARD. DIACONUS.

OBIIT RHEMIS 24. NOV. 1193.

GOdeſridi III. Lotharingiae, & Brabantiae Ducis ex Margarita Limburgica filius ob morum integritatem quamquam juvenis fit ex Archidiacono Epiſcopus Leodienſis omnibus ferme Cleri, populique ſuffragiis. Henricus VI. Imperator uſurpato Eccleſiae jure Lotharium Hobſtadium Praepoſitum Bonnenſem, repudiato Alberto, Epiſcopum pronuntiat. Albertus de accepta injuria Romanum Pontificem appellat, & diſſimulata dignitate, ignotuſque in exotica veſte iter Romam ſuſcipit periculis omnibus praeponens Eccleſiae libertatem. Cauſam ſuam dicit coram Coeleſtino III. Summo Pontifice, qui non tanti faciens generoſi Juvenis nobilitatem, quanti eloquentiam, ac ſingularem ſapientiam, non ſolum Leodienſium de eo judicium confirmat, ſed & ei mitram imponens inter Cardinales annumerat. Pretioſis donatum muneribus Rhemos miſit ad Guilielmum Cardinalem, & Archiepiſcopum, qui eum juſſu ſuo in Leodienſem Praeſulem conſecraret. Quod cum factum eſſet, Henricoque percrebuiſſet, furore actus ſatellites Rhemos mittit, qui Albertum interceptum prope Urbis moenia multis vulneribus conſodiunt. Martyr Eccleſiaſticae libertatis pluribus miraculis claruit, quibus titulis in Martyrologio Romano celebratum die XXI. Novembris Paulus V. in univerſa Eccleſia coli praecepit; quo tempore ſacrum ejus corpus auctore Flandriae Praeſecto Alberto Auſtriaco Rhemis Bruxellas ſolemni pompa translatum eſt.

LEO BRANCALEO ROMANUS

CANONIC. REGUL. CONGREG. S. FRIGDIANI LUCEN.

AB INNOCENTIO III. AN. MCC. CR. DIAC. CARDINALIS TIT. S. LUCIAE IN SEPTEMSOLIO.

OBIIT ROMAE ANNO 1230.

EX Cappellano Pontificis in Cardinalium coetum cooptatus in Germaniam, & Saxoniam Sedis Apoſtolicae Legatus cum Hugolino Epiſcopo Oſtienſi, qui poſtea ſuit Gregorius IX. exaequata poteſtate mittitur, ad pacem inter diſſidentes Germaniae Principes Caeſaream Coronam ambientes, conciliandam. Philippum Sveviae Ducem recepto prius juramento de exequendis Pontificis mandatis Eccleſiae vinculo ſolverunt ea lege, ut Brunonem Colonienſem Archiepiſcopum carcere detentum dimitteret, & cum Othone IV., cum quo de Imperiali dignitate certabat, concordiam ſtatueret. Tandem adnitentibus Legatis pax firmata eſt, ſtatutumque, ut Otho Philippi filiam in uxorem duceret. In hac difficili Legatione injunctum ſibi officium ita prudenter, & moderate uterque geſſit, ut Innocentius eoſdem ſummis efferret laudibus, praeſertim quod manus ſuas ab omni munere excuſſiſſent. Leonem Innocentius in Hungariam, & Bulgariam legavit, ut Calojoannem Bulgarorum Principem Romani Pontificis nomine Regio Diademate inſigniret, eumdemque vexillo, in quo Signum Crucis, ac Claves geminae praeferebantur, donaret. S. Franciſco, ejuſque ſacrae ſamiliae, quoad vixit, mire addictus ſuit, illud praecipue curans, ne quovis modo Minores alicubi moleſtiis, aut injuriis afficerentur: dictus propterea Zelator Ordinis, Deſenſor virtutis, Chriſti pauperum Pater, & Patronus.

NICOLAUS DE ROMANIS
ROMANUS

AB INNOCENTIO III. ANNO MCCV. CR. CARD.
EPISC. TUSCULANUS.

OBIIT ROMAE ANNO 1219.

Literis, & vitae integritate conſpicuus Innocentii III. ab Epiſtolis, & ſacrificiis ſeptennio fuit. Ab eodem Purpura donatus in Angliam ſumma cum poteſtate legatur. Honorifice exceptus, inter Regnum, & Sacerdotium pacem firmavit. Joannes Rex ante aram Eccleſiae principem coram Clero, & populo Diadema, Regnumque Pontifici Romano per ejus Legatum obtulit, ac Diploma Regium de conſtitutis Angliae, & Hiberniae Regnis Sedi Apoſtolicae vectigalibus renovavit, edito inſuper ſolemni juramento. Vacantibus Angliae per id tempus Eccleſiis dignos Praeſules, quamvis diſſentiente Stephano Cantuarien. Archiepiſcopo, praeſecit. Collecto deinde Londini Concilio, aliorumque Optimatum conventu, latam ante ſex annos Interdicti ſententiam ſolemni ritu ſuſtulit. Ad promovendum ſacrum bellum in Oriente iterum ſub Honorio III. Angliam petiit: Legatione quoque functus eſt in Pruſſia, & apud Fridericum II. Imperatorem, a quo, antequam Romam ad recipiendam Coronam perveniret, declarationem impetraret Siciliae Regnum Imperio nunquam fore conjunctum, ac fidelitatis Sacramentum ab eodem, & a Principibus Germaniae exigeret. Quae omnia Legatus plena fide peregit. Maxima fuit Sancto Dominico familiaritate devinctus, ejuſque opera & ſtudio cum Hugolino, & Stephano de Foſſanova Cardinalibus ſacras Virgines in Urbe nimia licentia ab inſtituto deſciſcentes corripuit, & ſub arctam vivendi formam redegit.

Digitized by Google

GREGORIUS DE CRESCENTIO ROMANUS

AB INNOCENTIO III. ANNO MCCVI. CR. DIAC. CARD. TIT. S. THEODORI.

OBIIT ANNO 1225.

EX Canonico Vatlcanae Baſilicae inter Cardinales relatus ab Innocentio, Latii, & Campaniae Legatus conſtituitur. Quo etiam munere apud Fridericum Svevum Siciliae Regem functus eſt utrobique ſumma cum laude. Saevientibus in Dania inteſtinis diſcordiis, quae facilius religione, quam armis ſopiendae eſſe videbantur, Gregorius Apoſtolicus Legatus ab Honorio III. decernitur, eique Daniae, Svetiae, ac Bohemiae Regibus exorantibus, componendi Eccleſiarum Septemtrionalium turbas cura committitur, data etiam ſumma illi poteſtate ad pervicaces in officium revocandos. Hinc Legati Apoſtolici in Polonia munere auctus, ab univerſis Reipublicae Ordinibus Cracoviae magno honore ſuſceptus nonnullos Clericorum abuſus ſuſtulit, & opportunas edidit pro eorum regimine Conſtitutiones. Rebus illis in Regionibus prudenter compoſitis, Romam reverſus Vir ſummo conſilio, & integritate conſpicuus diem clauſit extremum magno apud ſuas, nec minori apud exteras gentes deſiderio ſui relicto.



RAINERIUS CAPOCCIUS VITERBIEN.

ORDINIS CISTERCIENSIS

AB INNOCENTIO III. AN. MCCXII. CR. DIAC. CARD.
TIT. SANCTAE MARIAE IN COSMEDIN.

OBIIT VITERBII 27. MAJI 1252.

EX Abbate Trium Fontium in Sacrum Collegium cooptatus, ſub Honorio III. Hetruriae Legatus Viterbium ab Imperatore Friderico II. ereptum Eccleſiae Romanae reſtituit. A Gregorio IX. Eccleſiaſtici exercitus Legatus factus Montem Phyſconem rebellem, Tuſciam, & Sabinorum Provinciam domuit. Legationem quoque geſſit Provinciae Patrimonii, Marchiae Anconitanae, & Ducatus Spoletani, quem a direptoribus defendit. In Italiam cum Stephano Tit. S. Calliſti ex Concilio Lugdunenſi Legatus privationis Friderici ab omni honore, & Imperio ſententiam promulgavit. Hetruriae & Patrimonii Rector, & S. R. E. Archidiaconus, multis praeclariſque ſummae virtutis, gloriae militaris, ac pietatis monumentis claruit. Sancti Dominici amicus ejus Ordinem mirifice juvit, ac promovit: Deiparam ſingulari cultu ſemper proſequutus eſt, eique Eccleſiam S. Mariae ad Gradus extra Viterbii moenia caelitus ſibi demonſtrato loco, excitavit, ante cujus aram tumulatus eſt.



JOANNES COLUMNA ROMANUS

AB HONORIO III. ANNO MCCXVI. CR. CARDIN.
TIT. SANCTAE PRAXEDIS.

OBIIT ROMAE ANNO 1245.

Nobilitatis Romanae, & Eccleſiaſtici Ordinis decus fuit, & ornamentum; quippe qui in Oriente pro Sede Apoſtolica Legatus, Petro Altiſiodorenſi Conſtantinopolitano Imperatori undique infeſtis bellis laceſſito, praeſentiſſimo fuit adjumento. Chriſtiani Exercitus Dux, & Claſſis Legatus ab Honorio III, qui eum Cardilem creaverat, renunciatus in Aegypto Peluſium ad Nili oſtium, & Damiatem validiſſimum oppidum expugnavit. Deinde Hieroſolymam Religionis gratia profectus, a Saracenis captus, diuturnaque ſervitute, & graviſſimis tormentis afflictus pene martyrium conſummavit. Certis conditionibus liberatus, in hoſtes iterum cum Joanne Hieroſolymitano Rege movit, victorque Sacram Columnam, cui Salvator noſter Chriſtus Jeſus dum flagellis caederetur, alligatus fuiſſe memoratur, Barbarorum manibus ereptam, Romam aſportavit, qua Urbem, & Titulum ſuum S. Praxedis exornavit. Ad Lateranum Occidentem verſus Hoſpitales domos effuſa liberalitate in peregrinorum, egenorumque perfugium cum ſingulari pietatis laude aedificavit. Sub Gregorio IX. Eccleſiaſtici exercitus Legatus plura Neapolitani Regni, ac Piceni a Friderico II. Imperatore occupata loca recepit. Vir eximius, qui egregiis virtutibus Romanam Purpuram maxime exornavit.

B. CONRADUS DE URACH GERMANUS

ORDINIS CISTERCIENSIS

AB HONORIO III. ANNO MCCXIX. CR. CARDINALIS EPISCOPUS PORTUENSIS.

OBIIT IN PALESTINA 30. SEPTEMBRIS 1227.

EGinonis Comitis de Urach Suitonum Dynaſtae filius cum fratre ſuo adhuc puer obſes datus eſt Philippo Svevo Imperatori deſignato: quo mortuo liberi ut ſe voto ſolverent, ambo Ciſtercienſi Ordini nomen dederunt. Conradus virtute, & doctrina clarus totius Ordinis Abbas eligitur; dignus, quem & Honorius III. Romana Purpura ornaret. Legationes obivit in Gallia adverſus Albigenſes, & in Hiſpania & Germania, ſubſidia conquirens pro vindicanda a Saracenis Paleſtina. Hinc per Italiam collapſis Eccleſiaſticae diſciplinae rebus ſtrenue conſuluit. Oblatum Epiſcopatum Leodienſem, & Archiepiſcopatum Biſuntinum, imo ipſum Romanum Pontificatum poſt mortem Honorii III. conſtanter recuſavit. Auctor fuit, ut Cardinalis Hugolinus, qui Gregorius IX. dictus eſt, eligeretur: quo ſedente Concilia habuit Moguntiae, Leodii, & Coloniae pro Cleri reformatione, graviſſimas in reprimendis ſchiſmatibus perpeſſus calamitates. In Paleſtinam cum Cruceſignatis trajecit, ibique laborum, ac vitae finem fecit, prolata hac ſententia: *Utinam uſque in hanc horam ſub diſciplina vixiſſem regulari, & cum culinae hebdomadariis ibidem ſcutellas laviſſem*. Corpus ejus, ut praeceperat, ad Claramvallem delatum eſt, & nomen in faſtis Ciſtercienſibus Beati titulo cohoneſtatum.



OTHO E MARCHIONIBUS MONTISFERRATI

A GREGORIO IX. AN. MCCXXVII. CR. CARD. DIAC. TIT. S. NICOLAI IN CARCERE TULLIANO,

DEINDE EPISCOPUS PORTUEN.

OBIIT LUGDUNI 1251.

OTho Guilielmi III. Montiſferrati Marchionis filius, vir aeque generis nobilitate, ac doctrina praeclariſſimus, a Gregorio IX. Cardinalis creatus in Angliam, & in Scotiam Legatus mittitur ad corrigendos mores, reſtituendamque Eccleſiaſticam diſciplinam. Eo appellentem non Antiſtites ſolum, & Optimates, ſed Rex ipſe Henricus III. honorificentiſſime exceperunt. Coacto Londini Concilio Procerum diſſenſiones compeſcuit, Cleri mores correxit, ac omnium Sacerdotiorum decimas ad bellum Aſiaticum gerendum obtinuit. In Italiam rediens ab Entio Friderici II. notho captus cum Jacobo Cardinali de Pecoraria, & Neapolim perductus, graviora paſſus eſt, quam ſi in Saracenorum manus incidiſſet. Mortuo Gregorio IX. Fridericus ad eligendum Pontificem Cardinales Romam emiſit ea lege, ut electo Pontifice ad carcerem redirent. Cum autem comitia diutius protraherentur, ne obſides alii apud Fridericum acerbius quid paterentur, Otho e Conclavi ad carcerem ſponte regreſſus eſt. Cujus fidem quamquam admiraretur Fridericus, non tamen eum dimiſit ante duos annos, hocque praeſtitit vix motus precibus Balduini Conſtantinopolitani Imperatoris. Cum Innocentio IV. ad Concilium Lugdunenſe profectus eſt, & Lugduni exceſſit e vita vir optime meritus de Eccleſia, ejuſque libertate.

Digitized by Google

JACOBUS DE VITRIACO

E VICO ARGENTOLI

PARISIEN. DIOECESIS EPISCOPUS AECONITANUS

A GREGORIO IX. CR. EPISCOPUS CARD. TUSCULANUS.

OBIIT ROMAE 30. APRILIS 1234.

EX Academia Pariſienſi, ubi ſacris literis operam dabat, ad B. Mariam Nivellanam, Ogniacenſem dictam in Brabantia agentem ſpiritu Dei duce ſe contulit; qua magiſtra perfectioris vitae inſtitutum aggreſſus Canonicis Regularibus Ogniacenſibus annumeratus eſt. Ab Innocentio III. inter religioſos viros ob excellentem in dicendo facundiam delectus, Legatus Apoſtolicae Sedis ad Belgicas Provincias, & Imperium Germanicum deſtinatur, ut Apoſtolica auctoritate Crucem contra Albigenſes per fines Toloſatium graſſantes promulgaret. Profligatis haereticis divino Spiritu impellente in Paleſtinam navigavit, ubi multa pro Religione praeclare, & feliciter geſſit, ac ſuſtinuit. Ptolemaidis Epiſcopus, deinde Patriarcha Hieroſolymitanus eligitur. Quam dignitatem Romam reverſus in manibus Honorii III. ſponte reſignavit, obtenta repetendae ſolitudinis facultate. A Gregorio IX. Romam revocatus, Purpura, & Epiſcopatu Tuſculano donatur. Multa ſcripſit cum Hiſtorica, tum Theologica, quae pietatem non minus, quam ſapientiam ejus teſtantur. Ejus corpus Roma Ogniacum delatum eſt, ubi cum Dei ancilla Maria Ogniacenſi in pace requieſcit.

JACOBUS DE PECORARIA PLACENTINUS

ORDINIS CISTERCIEN.

A GREGORIO IX. AN. MCCXXXIV. CR. EPISCOPUS CARDINALIS PRAENESTIN.

OBIIT ROMAE 27. MAJI 1244.

IN ſortem Domini a puero vocatus, & Clero adſcriptus, primum Archidiaconus Ravennaten., deinde valere juſſis nobilibus parentibus apud Claramvallem Ciſtercienſe Inſtitutum profeſſus eſt. Coenobii Romani Trium Fontium Abbatem electum Gregorius IX. Epiſcopum Praeneſtinum renunciavit, pluresque ei Legationes commiſit, duas videlicet in Inſubriam pro pace inter eos populos inteſtinis odiis miſere diſciſſos, & Fridericum II. concilianda. Aliam pariter in Hungaria obivit ad Regem, & Regnum anathemate percuſſum Eccleſiae communioni reſtituendum. Hinc in Tuſciam velut arbiter pacis inter Florentinos, & Senenſes profectus eſt. Ampliſſimam poſtmodum in Galliam, & Hiſpaniam Legationem ſuſcepit ad reprimendos Albigenſes, & ad Epiſcopos, & Abbates ad Concilium generale convocandos, quod contra eumdem Fridericum relapſum Gregorius indixerat. Provinciam periculoſiſſimam intrepide arripuit Jacobus, qui ſub peregrini hominis veſte Roma digreſſus in Galliam ſoſpes pervenit; unde celebratis Conciliis Italiam repetens in Corſico mari cum aliis Apoſtolicis Legatis a Piſanorum, qui Caeſari favebant, claſſe interceptus, Neapolim ductus eſt in captivitatem, quam per biennium toleravit duriſſimam. Sacri Cardinalium Collegii rogatu cum captivitatis ſuae ſociis abire permiſſus, ut vinculis ſolutus fuit, Friderico plurima illi dona offerenti, atque ut ſecum amicitiam iniret, enixe roganti, infracto Apoſtolici pectoris robore reſpondit: *Se tamdiu illi addictum fore, quamdiu ipſe Romanae Eccleſiae jura ſervaret illibata*. Romam reverſus ab Innocentio IV. Lugdunum ob Friderici perſecutionem ſe recipiente, S. Sedis Vicarius declaratur. Innumeris pro Eccleſia toleratis calamitatibus exceſſit e vita. Ex ejus Teſtamento corpus ad Claramvallem tranſlatum eſt.

S. RAYMUNDUS NONNATUS PORTELLI

IN DIOECESI ORGELLEN. NATUS

A GREGORIO IX. AN. MCCXXXVII. CR. DIAC. CARD.
TIT. S. EUSTACHII.

OBIIT CARDONAE IN CATALAUNIA AN. 1240.

EX nobilibus parentibus, & e mortuae matris diſſecto latere editus Nonnatus cognomento dictus eſt. Tantam illico pietati operam dedit, ut omnes in puero adultam virtutem admirarentur. Familiari B. Virginis colloquio admonitus Ordini de Mercede Redemptionis Captivorum nomen dedit. Caritate praeſertim erga Chriſtianos, qui ſub jugo barbarorum miſeram vitam ducebant, enituit; ad quos redimendos in Africam ſaepe navigavit. Cum multos a ſervitute liberaſſet, ne conſumta pecunia aliis in abnegandae Fidei periculo deeſſet, ſeſe in pignus dedit: qua in captivitate dici vix poteſt quot pertulerit eruciatus, labiis interea perforatis, & repagulo ferreo occluſis, ne Verbum Dei praedicaret. Nihilominus expeditius loqui non ſine Saracenorum admiratione auditus, plures ſuis concionibus ad Chriſtum convertit. Reducem ex Africa Gregorius IX. Sacro Cardinalium Collegio adſcripſit. Raymundus tanta auctus dignitate in Coenobio ſuo tamquam omnium minimus vitam traducebat, cum a Pontifice Romam vocatur. At dum ſe ad iter pararet, in morbum incidit, & Angelicis manibus Sacra Synaxi refectus ad beatam Patriam evolavit. Corpus ejus ad Sacellum S. Nicolai, ubi ſanctitatis fundamenta jecerat, Dei nutu delatum crebris miraculis & magna confluentium populorum veneratione celebratur.

Digitized by Google

OTHO A CASTRO RODULPHI

GALLUS BITURICEN.

AB INNOCENTIO IV. CR. CARDINALIS, ET EPISCOPUS TUSCULANUS.

OBIIT URBEVETERI 25. JANUARII 1273.

ILluſtri gente Rodulphaea procreatus inter viros aevi ſui doctrina, & eloquentia claros emicuit. Primum Canonicus, & Cancellarius Eccleſiae Pariſienſis, deinde caeleſtis contemplationis deſiderio accenſus in Coenobio Ciſtercienſi Grandis-Sylvae Monachum profeſſus, ibidem paulo poſt in Coenobiarcham electus, mox ab Innocentio IV. Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus renunciatus eſt. Pariſios, ſoluto Concilio Lugdunenſi, ab eodem Pontifice Legatus miſſus Sanctum Regem Francorum Ludovicum IX. enſe, & ſacro vexillo donatum ad ſuſcipiendam adverſus Saracenos Crucem, & expeditionem tranſmarinam excitavit. Illum Rex pientiſſimus amore, & veneratione proſequutus eſt, & virum ſecundum cor ſuum appellavit. Erat enim Otho morum candore, conſilii maturitate & ſanctimonia vitae Ludovico non multo inferior. Ad eum plura Innocentius ſcripſit, dum in Oriente Legati partes ageret, Regique ſanctiſſimo individuus comes adhaereret; quae omnia ad mentem Pontificis perfecit. Orientalem Tartarorum Regem literis ſuis ad Fidem Orthodoxam converſum Chriſto peperit, ad quem deinde, ne forte in errorem relaberetur, inſignes aliquot Viros zelo Fidei, & doctrina praeſtantes miſit. Ante ſuſceptum in Syriam iter Sacellum Lutetianum, quod S. Ludovicus regio ſplendore ad excipiendam Spineam Chriſti Coronam a Balduino Imperatore Conſtantinopolitano acceptam, adjunctis pro majori parte ſacris Dominicae Paſſionis Reliquiis, conſtruxerat, ſolenni ritu conſecravit. Urbeveteri finem vitae fecit non ſine luctu Eccleſiae, & bonorum omnium.

Digitized by Google

HUGO A SANCTO CARO BURGUNDUS
ORDINIS PRAEDICATORUM
ARCHIEPISCOPUS LUGDUNEN.
AB INNOCENTIO IV. ANN. MCCXLIV. CR. PR. CARD.
TIT. SANCTAE SABINAE.
OBIIT URBEVETERI ANN. 1264.

CUm ab Academia Pariſienſi, in qua Theologiae Cathedram obtinebat, fama ejus doctrinae, & pietatis ad aures Gregorii IX. perveniſſet, una cum Fr. Petro altero Ordinis Praedicatorum Alumno, & Fr. Aymone, ac Rodulpho Minoritis, viris doctrina & virtutibus conſpicuis Conſtantinopolim deſtinavit, ut Eccleſiae Graecae cum Latina concordiam, & unionem procurarent. Ab Innocentio IV. Archiepiſcopus Lugdunenſis, mox in Concilio Lugdunen. creatus Cardinalis mittitur in Germaniam ad Imperii Proceres acturus, ut depoſito in eodem Concilio Friderico II. alius Imperator Eccleſiae opportunus eligeretur. Qua Provincia ex voto Pontificis rite adminiſtrata, Romam ſe contulit, adeoque ſe praeſtitit Romano Pontifici fidelem in dandis conſiliis, ut ingens auri pondus ad reticendam veritatem oblatum magno animo ſpreverit, nihil antiquius ducens Dei gloria, & Chriſtianae Reipublicae utilitate: quibus conſervandis, promovendiſque (ſpretis ubique periculis) ingenium, vires, & animam, ubi occaſio eſſet, paratiſſimus obtulit. Verbi Dei praeco fuit eximius, & admirandis Commentariorum voluminibus in univerſam ſacram Scripturam, necnon Concordantiis Bibliorum opere laborioſiſſimo, & omnium, quae facta ſunt, utiliſſimo maxime commendandus.

PETRUS CAPOCCIUS ROMANUS

AB INNOCENTIO IV. ANNO MCCXLIV. CR. DIAC. CARD.

SANCTI GEORGII IN VELABRO.

OBIIT ROMAE 20. MAJI 1259.

VIr conſilio, prudentia, pietate nulli ſecundus Populi Romani, qui adverſus Gregorium IX. arma ſumſerat, audaciam repreſſit. Ab Innocentio IV. Purpura donatus, Legationis munere functus eſt apud Danos, Polonos, Pomeranos, & Germanos, ut Imperii Principes ad novam Regis Romanorum electionem, mortuo Henrico Thuringiae Landgravio, convocaret. Ejus ſuaſu Willelmus Hollandiae Comes electus eſt. Siculam poſtea obivit Legationem & in veſte Sacerdotali Crucis vexillum ferens thorace munitus, ac enſe milites ad arma provocavit, atque eos in certamine antecedendo, dato ſigno, Friderici copias ſudit, ac diſperſit. Interim cum inteſtino bello Germania flagraret, hinc a Willelmo Rege, inde a Conrado, Innocentius ad Willelmi res promovendas, & in ejus fidem Germaniam alliciendam, Petrum Legatum iterum miſit, eaque auctoritate inſtruxit, ut eos, qui Conradi partes abjicerent, Fidelium communioni ſublato anathemate reſtitueret, illatas ab iis Eccleſiae injurias remitteret, ac in rebelles novum exercitum conſcriberet. Eum Innocentius ſemel, iterumque in literis ſuis pacis Angelum appellat. Maxima in Deum, & res divinas pietate excelluit. Xenodochium S. Antonii Abbatis in Urbe erexit, & dotavit, multaque alia piae munificentiae monimenta reliquit.

OTHOBONUS DE FLISCO JANUEN.

ARCHIDIACONUS CANTUARIEN.

AB INNOCENTIO IV. ANNO MCCLII. CR. DIAC. CARD.

TIT. SANCTI HADRIANI,

QUI POSTEA HADRIANUS V.

OBIIT VITERBII 18. AUGUSTI 1276.


EX Comitibus Lavaniae Innocentii IV. fratris filius, ſedente Urbano IV. ad reprimendos Manfredi conatus Peruſinae ditioni praefectus, glorioſam victoriam de hoſtibus reportavit. Clemens IV. triſtem Angliae ſtatum regnante Henrico III. miſeratus Othobonum in Angliam Legatum miſit, ut viros Principes cum Rege reconciliaret, conflata inter eos impia foedera diſſolveret, rebelles incuſſo cenſurarum metu ad officia compelleret, Praeſules Romam ad dicendam cauſam evocaret. Quae omnia ex Pontificis voluntate perfecit. Eduardum, & Edmundum Henrici Regis filios Cruce ad tranſmarinam expeditionem inſignivit. Londini celebre habuit Concilium congregatis Angliae, Scotiae, & Hiberniae Epiſcopis. Romam redux ab eodem Clemente in Hiſpaniam mittitur, ut afflictis Caſtellae, & Aragoniae rebus conſuleret. Tot meritis praeclarus defuncto Innocentio V. ſufficitur, ſeditque menſe uno, & ſeptem diebus. Supremam hanc dignitatem ita verebatur, ut diceret: *Nullum ſe ab hoſte quolibet infenſiſſimo majus ſupplicium expetere poſſe, quam ut ſummum Pontificatum aſſequeretur*. Breve hoc ei ſupplicium fuit: nam prae aegritudine nec Sacerdotio initiari potuit, (erat enim Diaconus) nec coronari. Brevi hoc tempore non defuit rebus Paleſtinae, pro quibus promovendis non modicam pecuniae vim ſtatim coegit, ac ſuppeditavit.

MATTHAEUS RUBEUS URSINUS ROMANUS

AB URBANO IV. ANNO MCCLXII. CR. DIAC. CARD. TIT. S. MARIAE IN PORTICU.

OBIIT PERUSIAE 12. NOVEMBRIS ANNO 1306.

ADoleſcens Clericali militiae adſcriptus expectationem, quam de ſe excitaverat, inſigni non minus doctrina, quam vitae probitate ſuperavit. Patrimonio S. Petri praefectus, conſcripto juſſu Pontificis milite, Petri a Vico hominis audaciſſimi, qui a partibus Manfredi tyranni ſteterat, ac Terras Patrimonii Eccleſiae infeſto Germanorum equitatu quaquaverſum afflixerat, impetus fregit, ac repreſſit. Poſt Nicolai III. obitum, cum Cardinales Pontificem electuri Viterbium conveniſſent, Matthaeus, & Jordanus Cardinales ex Nicolai familia a factioſis civibus tumultu concitato, arctae cuſtodiae traditi ſunt. Inde quum evaſiſſent, Matthaeus, ut erat vir mitiſſimi ingenii, Viterbienſibus a poenis, & cenſuris condigne illatis abſolutionem ab Honorio IV, & veniam duris quidem, quod ita Pontifici viſum eſt, conditionibus impetravit. Anagnia Romam armato milite deduxit Bonifacium VIII. hoſtium inſidias declinantem. Interfuit raro exemplo creationibus XIII. Romanorum Pontificum, nempe qui ab Urbano IV. uſque ad Clementem V. ad Petri Cathedram evecti fuerunt. Vir egregius, munitus Apoſtolica fortitudine, & longa aetate ſemper uſus pro bono Eccleſiae.



S. BONAVENTURA FIDANZA

BALNEOREGII IN HETRURIA NATUS

MINISTER GENERALIS ORDINIS FRATRUM MINORUM

A B. GREGORIO X. AN. MCCLXXIII. CR. EPISCOPUS CARDINALIS ALBANENSIS.

OBIIT LUGDUNI 14. JULII 1274.

DOctrinae ſingulari, & rèrum Divinarum eognitioni Angelicos mores adjunxit. Galliam ſere omnem, ac Italiam, bonamque Germaniae partem Ordinis ſui Miniſter Generalis nullo uſus vehiculo, aut equo peragravit, ut Fratres Minores ad paupertatem, & religioſae vitae obſervantiam vel ſuo hoc exemplo impelleret. Coruſcantibus ejus virtutibus, a Beato Gregorio X. abſens Purpura, & Inſula Albanenſi donatus Romam contendit ad Pontificem, ut tantum ab ſe honorem deprecaretur, quem ex obedientia accipere eoactus eſt. Auctus nova hae Dignitate Vir Apoſtolicus ſuſceptas eouſque pro Eccleſia curas, novis, iiſque graviſſimis laboribus cumulavit. Ejus praeſertim opera, & ſtudio Graeci in Concilio Lugdunenſi XIV. Generali ad Sanctae Romanae Eccleſiae unionem redierunt, ibique ad caeleſtem patriam migravit. Qiid de S. Bonaventura ſatis? Elatus eſt funere poſt hominum memoriam honorificentiſſimo. Nam ejus exequias Summus Pontifex, & uterque Imperator cohoneſtarunt, Gregorio ipſo coram Concilii Patribus ſeſ. x. contelſtante, Eccleſiam in Bonaventurae obitu inaeſtimabile damnum paſſam eſſe. Orationem funebrem pronunciavit Petrus de Tarantaſia Cardinalis Epiſcopus Oſtien. Ordinis Praedicatorum, poſtea Innocentius V. Sixtus IV. ſolennes illi Sanctorum honores decrevit. Doctorem Eceleſiae Sixtus V. declaravit, appellatum jam antea Doctorem Seraphicum, ob caeleſtem ardorem, quo omnia ejus opera plena ſunt, quemque in pie legentium animis facile poſſint excitare.

LATINUS FRANGIPANES

VEL

MALABRANCA URSINUS

ORDINIS FRATRUM PRAEDICATORUM

A NICOLAO III. AN. MCCLXXVIII. CR. EPISCOPUS

CARDINALIS OSTIENSIS.

OBIIT PERUSIAE 2. AUGUSTI 1294.

DOctor Pariſienſis Ordinem Praedicatorum ingreſſus eſt, & a Nicolao III. ejus avunculo in Urſinorum familiam adoptatus, non tam ſanguinis propinquitate, quam virtutis ſplendore Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis creatur. Sedis Apoſtolicae Legatus ad Florentinos, ut pacem inter Guelphos, & Ghibellinos componeret, pernicioſam diſcordiam gravibus eloquentiſſimiſque concionibus ſedavit. Ne vero facile in aperta iterum odia erumperent, mutuis utramque factionem matrimoniis, a quibus hactenus abhorruerant, conjunxit, ac devinxit. Urbis Magiſtratum ex octo primariis Guelphis, ſexque Ghibellinis conſtituit, eiſdem formarite adminiſtrandae Reipublicae praeſcripta. Generalis Inquiſitor Fidei graſſantes per Inſubriam haereſes eradicavit, bona Eccleſiae malae fidei poſſeſſoribus erepta, Sedi Apoſtolicae vindicavit. Pauperum amator ſtudioſiſſimus, conſanguineis ac propinquis nihil ultra vitae neceſſaria elargitus eſt. Monaſterium Sanctae Sabinae in Urbe inſigni Bibliotheca ornavit, annuiſque redditibus ditavit. Poſt diuturnam Sanctae Sedis vacationem promotor fuit Sancti Caeleſtini ad Pontificatum, ei, ut jam incoeperat, futurus ſtrenuus adminiſtrator, niſi illum brevi mors abripuiſſet. Latino defuncto de abdicatione S. Caeleſtini agi coeptum eſt. Vir fuit magnae doctrinae, auctoritatis, & prudentiae, qui non dubia ſanctitatis fama deceſſit.

GERARDUS BLANCHUS E GAINACO

DIOECESIS PARMENSIS

PROTONOTARIUS APOSTOLICUS

A NICOLAO III. CR. PR. CARD. TIT. SS. XII. APOST.

DEINDE EPISCOPUS SABINEN.

OBIIT ROMAE 1. MARTII 1310.

OBſcurum genus virtute ſua, & doctrina praeſertim juriſprudentiae, Nicolaus vero III. purpura condecoravit. Legatus primo miſſus eſt in Hiſpaniam cum Hieronymo Cardinali Aſculano pro firmanda pace inter Reges Galliae, & Caſtellae: deinde cum Benedicto Cajetano Cardinali ad Francorum, Anglorum, & Aragonum Reges, ut ſimultates, quae inter illos vigebant, ſedaret, eorumque arma in Saracenos vertenda curaret. Aliam quoque illi Martinus IV. demandavit Legationem ad Carolum Siciliae Regem, arduam ſane eo tempore, quo Siculi Petrum Aragoniae Regem in Inſulam caeſis Gallis receperant. Cum e vita Carolus exceſſiſſet, ne Regnum detento ab Aragoniis in carcere Carolo II. ſine certo moderatore fluctuaret, ab Honorio IV. Gerardus Sedis Apoſtolicae cum Roberto Comite Atrebaten. Siciliae procurator inſtituitur. Carolo libertate donato Gerardus Regno prudentiſſime adminiſtrato Romam redit, unde a Nicolao Legatus ſecundo ad Francorum, & Anglorum Reges mittitur, ut graviſſima diſſidia inter eos exorta, ac proxime in apertum bellum eruptura extingueret: quod intra ſemeſtre ſpatium egregie perfecit. In Siciliæ Legatione celebre decretum edidit in Clericos concubinarios, Parmenſi Eccleſiae multa beneficia contulit, & Coenobium, ac Templum Sancti Martini a fundamentis erexit. Pietas in Deum, ſingulariſque in agendis rebus ſapientia eum ſeculi ſui primarium lumen effecerunt.

JOANNES CHOLETUS GALLUS

EX OPPIDO NOINTEL DIOECESIS BELLOVACEN.

A MARTINO IV. AN. MCCLXXXI. CR. PR. CARD.

TIT. S. CAECILIAE.

OBIIT BELLOVACI 2. AUGUSTI 1292.

EX Canonico Bellovacenſi Sacrorum Canonum ſcientia clariſſimus in Sacrum Collegium cooptatur. Legationis munere jubente Martino functus eſt ad Eduardum Anglorum Regem, ut indictum ſingulare certamen inter Carolum Neapolitanorum, & Petrum Aragonum Reges impediret. Eduardus Reges a concepto certamine amoliri, atque propoſitis pacis conditionibus conciliare ſtrenue, ſed fruſtra contendit. Recuſantem Petrum Martinus veluti Siciliae invaſorem anathemate percuſſit, & Joannem Legatum in Galliam II. miſit, ut eumdem ab honore regio dejectum publica praeconis voce denuntiaret, Aragoniam Romanae Eccleſiae nomine Carolo Valeſio Philippi Francorum Regis filio vectigalem traderet, ac legitimum ejus poſſeſſorem inſtitueret. Legatus Cruce primo contra Petrum praedicata cum Cruceſignatis militibus, & eodem Philippo Rege in Aragoniam movit. Rebus proſpere geſtis, mandante Pontifice Joannes Sanctium Caſtellae, & Philippum Pulchrum Galliae Reges inter ſe diſſidentes reconciliavit. Collegium Choleteum ſui nominis Lutetiae Pariſiorum fundavit, & liberaliſſime dotavit: a quo plures egregii viri de virtute, & literis optime meriti prodierunt. Erecta fuerat in ejus ſepulchro argentea ſtatua, quæ temporum calamitate in aeream verſa eſt.

GUILIELMUS DE LONGIS DE ADRARIA
B E R G O M.

A S. CAELESTINO V. ANNO MCCXCIV. CR. DIAC. CARD. TIT. S. NICOLAI IN CARCERE TULLIANO.

OBIIT AVENIONE 9. APRILIS 1319.

CAroli II. Regis Neapolitani a ſecretis, & conſiliis, & Cancellarius, eo rogante Purpura decoratus eſt. In Concilio Viennenſi Bonifacii VIII. famam a Rege Francorum Philippo impetitam, tuendam in Jure Canonico ſuſcepit. Id vero adeo ſelici ſucceſſu cum Richardo Senenſi, & Fr. Gentili de Montefloris Cardinalibus praeſtitit, ut multi Gallorum Praeſulum, qui Regi adhaeſerant, ejuſque cauſam propugnaverant, palam convicti, Bonifacium ab impactis calumniis immunem proclamaverint. Sub Bonifacio VIII. plures Legationes ſelici exitu obivit, ac multa in patria ſua ſacra aedificia erexit, annuoque cenſu dotavit. Deceſſit ſanctis operibus, & virtutibus clarus.


GENTILIS DE MONTEFLORIS PICENUS

ORDINIS FRATRUM MINORUM

A BONIFACIO VIII. ANNO MCCXCVIII. CR. PR. CARD.
TIT. SS. SILVESTRI, ET MARTINI.

OBIIT AVENIONE 27. OCTOBRIS 1312.

EX Lectore Sacri Palatii inter Cardinales cooptatus a Clemente V. in Hungariam Legatus indictis omnium Ordinum Comitiis Hungaros, qui Carolum Martellum Regem Apoſtolica ſententia confirmatum rejecerant, anathemate perculſos abſolvit, omniumque animos mira concordia conjunctos ad parendum Regi adduxit, conſtitutis poenis in eos, qui deinceps novas res molirentur. Matthaeum Palatinum ob admiſſa in Deum, Regem, populumque Hungaricum flagitia ſacris interdixit. A Bonifacio Fidei cuſtos contra haereſes conſtitutus, ſtrenue inſtitit ſectae Fraticellorum funditus extirpandae. In Concilio generali Viennenſi Bonifacii VIII. cauſam coram Philippo Galliarum Rege petitis ex Jure Canonico argumentis acerrime defendit. Rebus pro Eccleſia fortiter geſtis, doctrina, & pietate clariſſimus Avenione obiit, ejuſque corpus Aſſiſium delatum in Sacello, quod in Templo Sancti Franciſci extruxerat, tumulatum eſt.



LUCAS DE FLISCO EX COMITIBUS LAVANIAE

A BONIFACIO VIII. ANNO MCCXCVIII. CR. DIAC. CARD.

TIT. S. MARIAE IN VIA LATA.

OBIIT AVENIONE 31. JANUARII 1336.

HAdriani V. Pontificis ex Fratre Nepos, Bonifacio VIII. Anagniae capto, populum ad arma excitavit, ac praecipuus auctor fuit, ut pulſis hoſtibus Pontifex liberaretur. Clementis V. juſſu cum aliis quatuor Cardinalibus Legationis munere functus eſt apud Henricum VII. Imperatorem, quem comitatus Janua Romam, ſervata ab vaſtatione militum Italia, in Baſilica Lateranenſi coronavit. Sub Joanne XXII. Legationem apud Galliae, & Angliae Reges ſuſcepit, ut eos bello inter ſe decertantes amicitiae foedere conjungeret, utque atrox bellum ſedaret in Anglia, Scotia, & Hibernia excitatum a Roberto Bruiſio, qui Scotiae Regnum excuſſo Eduardi Angliae Regis jugo invaſerat. Patriam ſuam multis beneficiis devinxit, in eaque Templum Deiparae extrui juſſit, fundato ingenti aere Collegio Canonicorum, aliorumque Sacerdotum, qui in eo rem Divinam perpetuo facerent. Obiit Avenione, & corpus ejus Januam translatum in Templo S. Laurentii magnifico ſepulchto conditum eſt.



Ant. Gramignani ſculp.


NICOLAUS DE FLEAUVILLA SEU FARINULA R C T H O M A G E N.

ORDINIS FF. PRAEDICATORUM

A. CLEMENTE V. AN. MCCCV. CR. CARDINALIS TIT. SANCTI EUSEBII.

OBIIT LUGDUNI 14. FEBRUARII 1323.

VIr animi, corporiſque dotibus mire ornatus in Ordine Praedicatorum primae notae Theologus, Concionatorque egregius evaſit. Philippo Pulchro Regi fuit a conſiliis, & confeſſionibus, cujus poſtulatu a Clemente V. Cardinalis creatus eſt; primus ex Regiis Miniſtris, qui hac Dignitate fuerit decoratus. Praeter ſermones plurimos librum ſcripſit de Ritibus, cum mos Caeremoniarum ſplendidior non adhuc vigeret. In gerendis magnis, atque arduis Eccleſiae negociis excelluit. Legatione functus eſt apud Regem Galliae, ut ad felicem exitum perduceret ſacram expeditionem in Palaeſtinam. Clarus meritis, ac virtutibus e vita deceſſit, & in Templo Ordinis ſui Lugduni tumulatus eſt.



JOANNES CAJETANUS DE URSINIS ROMANUS

A JOANNE XXII. AN. MCCCXVI. CR. DIAC. CARD.

TIT. SANCTI THEODORI.

OBIIT AVENIONE 27. AUGUSTI 1335.

EX Protonotario Apoſtolico Cardinalis creatus, majorum ſuorum virtutes aemulatus nihil geſſit non eis dignum. In Italiam Legatus decernitur ad comprimendam Ludovici Bavari audaciam, aliorumque rebellium conatus. Praefuit Aemiliae, Piceno, Hetruriae, Umbriae, & Sardiniae. Florentiae concione habita in ampliſſimo foro, Caſtruccium Lucenſium tyrannum Sedi Apoſtolicae infenſiſſimum, & Guidonem Tarlatum Aretinum Epiſcopum Ghibellinorum ducem anathemate damnavit, utrumque bello perſequendi cura Carolo Roberti Neapol. Regis filio demandata. Bavari in Italiam adventu populus Romanus ad res novas excitatur, quem cum fruſtra ad officium revocare ſtuduiſſet, Urbem interdicto ſuppoſuit. Redux in Hetruriam, ictas a Pontifice cenſuras in Bavarum publicavit. Eo in Germaniam redeunte Legatus cum copiis Eccleſiae, & Regis Roberti Romam reverſus, Ludovici acta omnia abrogavit, & Urbem Eccleſiaſtico Interdicto ſolvit, Civibus in Pontificis fidem revocatis. Italiae rebus pro temporis conditione compoſitis, Avenionem rediit, ubi vitae ſtrenue & laudabiliter actae finem impoſuit.



BERTRANDUS DE TURRE GALLUS CADURCENSIS

ORDINIS FRATRUM MINORUM

ARCHIEPISCOPUS SALERNITANUS

A JOANNE XXII. AN. MCCCXX. CR. PR. CARD.

TIT. SS. SILVESTRI, ET MARTINI IN MONT.

DEINDE EPISCOPUS TUSCULANUS.

OBIIT ANNO 1334.

EX Praefectura Ordinis ſui in Aquitania ob vitae integritatem, miramque in concionando ſacundiam a Joanne XXII. ut Italiae malis ſuccurreret, cum Guidone Ordinis Praedicatorum Nuntius mittitur. Res enim tunc tota Italia ſus deque ibant, & omnia odiis, & armis perſonabant. Ita pertinaces erant in exitioſo propoſito Principum animi, ut Caduceatores vel eloquentiſſimi nihil apud eos praeter breves inducias, obtinerent. Bertrandus a laborioſo hoc negocio ad Archiepiſcopatum Salernitanum evehitur, pauloque poſt ad Cardinalatum. Michaele de Caeſena Schiſmatico a ſupremo Magiſtratu Ordinis Minorum amoto in ejus locum ſubſtituit Pontifex Bertrandum, qui nihil non egit, ut priſtinam in Seraphico Ordine diſciplinam reſtitueret. Adeo ſcientia, ſermone, ſcriptis claruit, ut *Doctor famoſus* communiter appellaretur.



ANNIBALDUS CAJETANUS SEU DE CECCANO ROMANUS

ARCHIEPISCOPUS NEAPOLITANUS

A JOANNE XXII. AN. MCCCXXVII. CR. PR. CARDINALIS TIT. S. LAURENTII IN LUCINA, DEINDE EPISC. TUSCULAN.

OBIIT APUD S. GERMANUM 17. JUL. 1350.

MAgno ingenio, parique ſcientia praecipue Juris Divini ornatus primum Archiepiſcopus Neapolitanus, deinde Cardinalis creatus eſt. Duas Legationes obivit alteram cum Petro Praeneſtino, alteram cum Stephano SS. Joannis, & Pauli Cardinalibus ad Philippum Galliae, & Eduardum Angliae Reges, ut pacem inter eos ſtatuerent. Primo inducias ad triennium impetrarunt, ſecundo eluſa omni eorum opera ingens utrinque bellum exarſit. Hinc in Germaniam profectus eſt ad conjungendos contra Ludovicum Bavarum Principes, quod cum ſatis feliciter praeſtitiſſet, deſperatis pene Regni Neapolitani rebus conſulturus mittitur, quo in negocio diu plurimumque laboravit, pactis tandem induciis metu cenſurarum Apoſtolicarum inter Ludovicum Regem Hungariae, & Reginam Neapolis Joannam. Ineunte anno Jubilaei Clemens VI. Pontifex Annibaldum Urbi praefecit, qui exacto iniquo Tribuno plebis Nicolao Laurentii filio, divina, & humana adminiſtraret. Legatus Praefecturam aggreſſus ad S. Laurentium in Piſcibus duabus ſagittis impetitur ictu vacuo: auctores ſceleris incerti; omnis tamen ſuſpicio in Tribunum recidit, qui anathemate percuſſus aufugit in Bohemiam. Celebrato Jubilaeo Legatus decernitur ad Regem Hungariae, ut eum a mente gerendi belli Neapolitani deduceret. Dum iter ſuſcipit ad Legationem per Campaniam, ibi inopinato morbo non ſine veneni ſuſpicione extinguitur, magno Chriſtianae Reipublicae incommodo; Vir, inquit Guilielmus Ciſengrenius, ſuae aetatis eloquentiſſimus, Poeta gravis, Theologus, ſacrarum legum exercitatiſſimus, Vitas BB. Petri & Pauli Apoſtolorum doctiſſimis commentariis heroico verſu conſcripſit.

JOANNES COLUMNA ROMANUS

A JOANNE XXII. ANNO MCCCXXVII. CR. CARDIN.
TIT. S. ANGELI IN FORO PISCIUM.

OBIIT AVENIONE 3. JULII 1348.

STephanum Columnam belli gloria, opibus, & rebus geſtis inclytum Patrem habuit. A Joanne Pontifice Cardinalis renuntiatus juſſus eſt contra Nicolaum a Laurentio tyrannum Urbis praefecturam adminiſtrare, & locum Judicis ſupremum in Cauſis Civilibus tenere. Hoc in munere tantam praeſetulit morum integritatem, prudentiam, & aequitatem, ut vulgo juſtitiae norma indigitaretur. Fridericum Auſtriae Ducem adverſus rebelles Ludovici Bavari acies conſtanter & diu juvit, egitque ita ſolerter, ut Ludovicus ex Italiae finibus ſemel iterumque eliminaretur. Ejus conſilio Pontifex ſelectos aliquot ex Ordine Minorum Fratres in Armeniam ad praedicandum Chriſti Evangelium miſit. Viros doctrina, & eruditione praeclaros doctus ipſe, eruditiſſimuſque in deliciis habuit, & praeſertim Fr. Petrarcham, qui eidem trium fratrum, totidemque nepotum funera aequo animo ſerenti plaudens in haec verba ſcripſit = Habent, magne Princeps, qui nobiſcum vivunt, habebunt, qui naſcentur poſtea, quod in te ſuſpiciant, quod laudent, quod efferant, quod mirentur, infractum malis animi robur, & generoſam vere Romani ſpiritus majeſtatem.

TALAYRANDUS EX COMITIBUS PETRAGORICEN.

EPISCOPUS ANTISIODOREN.

A JOANNE XXII. AN. MCCCXXXI. CR. PR. CARD.

TIT. S. PETRI AD VINCULA,

DEINDE EPISCOPUS ALBANEN.

OBIIT AVENIONE 17. JANUARII 1364.

REgum conſanguineus, & amicus rogatu Philippi VI. Regis Galliae, qui duos poſtulabat, ſolus in numerum jam plenum Cardinalium cooptatur. Monitis a Clemente VI. Electoribus Imperii, ut alium in Ludovici Bavari locum ſubſtituerent, agente potiſſimum Talayrando Carolus IV. Romanorum Rex electus eſt. Ut bellum inter Gallos, Angloſque ſaeviſſime coortum ſedaret, eum Innocentius VI. Legatum miſit cum Cardinali Capoccio. Imminente in Pictavienſi agro pugnae diſcrimine ad utraque caſtra commeantes, annitebantur ad continendas adverſas acies; ſed irrito conatu, faceſſere juſſi a Joanne Rege, qui, Francis magna ſtrage profligatis, captus, mox in Angliam ductus poenas dedit contumaciae. Innocentius cogitans ea, quae pacis erant, ſimulque liberaturus Joannem, Talayrandum cum ſocio eodem in Angliam trajicere juſſit, quorum opera tandem induciae inter Reges ſtatutae ſunt. Pace Bituricenſi firmata, Rex Joannes Urbanum V. Avenione inviſit, & decreta contra Saracenos tranſmarina profectione, Dux ipſe conſtituitur cum Talayrando, qui a latere Legatus Regem comitaretur. Magnum opus utriuſque mors, quae eodem anno contigit, abrupit. Petrarcha Talayrandum appellat oculatiſſimum, ac lucidiſſimum Eccleſiae ſydus. Fundavit Collegium Toloſae, Petragoriis Sacellum S. Antonii cum XII. perpetuis Sacerdotiis, & nobile Coenobium Carthuſianorum apud Claramvallem.

PETRUS BERTRANDUS SENIOR

IN VICO ANNONIACI DIOECESIS VIENNEN. NATUS

EPISCOPUS AEDUEN.

A JOANNE XXII. AN. MCCCXXXI. CR. PR. CARD.

TIT. S. CLEMENTIS

OBIIT AVENIONE 23. JULII 1348.

Pietate, ac doctrina praeſertim U. J. clariſſimus in Pariſienſi Senatu Conſiliarius fuit, & unus apud Regem e ſanctiori Conſilio. Creatus Epiſcopus Aeduenſis pro Eccleſiaſtica juriſdictione coram Rege Philippo VI., Galliaeque Epiſcopis, ac Principibus in conventum Anno 1329. vocatis docte feliciterque diſſeruit adverſus Petrum de Cugneriis, qui in Pariſienſi Senatu Advocatus, rejectis Conciliorum Decretis, ac Patrum ſanctionibus, petulantiſſimo auſu Immunitatem Eccleſiaſticam evertere nitebatur. Rex rejecta Cugnerii impia ſententia, juſſit, ut Clerus juriſdictione, & libertate Eccleſiaſtica veluti prius, & ut ratio poſtulabat, frueretur. Ex quo Philippus a Sede Apoſtolica Catholici nomen obtinuit, & Petrus ejuſdem Regis petitione in Sacrum Cardinalium Collegium cooptatus eſt. Scripta ab eo egregia volumina diu, uti theſaurus, Pariſiis aſſervata, & inedita malo fato anno 1575. perierunt. Praeter multa multis in locis ſacra aedificia excitata, Collegium Auguſtodunenſe Pariſiis fundavit, magnoque cenſu locupletavit.

GUILIELMUS CURTUS TOLOSANUS

MONACHUS CISTERCIENSIS

EPISCOPUS ALBIEN.

A BENEDICTO XII. AN. MCCCXXXVIII. CR. PR. CARD.

TIT. SS. QUATUOR CORONATORUM,

DEINDE EPISCOPUS TUSCULANUS.

OBIIT AVENIONE 12. JUNII 1361.

BEnedicto XII. conſanguinitate proximus Ciſtercienſi Ordini nomen dedit. Motus ejus virtute, & doctrina Patruus illum ex Abbate Epiſcopum Albienſem creavit, deinde Purpura decoravit, Cardinalem Album, ab habitu Ciſtercienſi cognominatum. Clemens VI. Legatum miſit in Italiam ampliſſima auctoritate inſtructum, ut res foede turbatas componeret, pacem ſtatueret, ac Principum animos conciliaret adverſus Ludovicum Bavarum, qui novam in Italiam irruptionem, vaſtationemque minitabatur. Ab ea Legatione redux in Curiam, a Pontifice, totoque ſacro Senatu ob pacatam magna ex parte Italiam, contentum ultra Alpes metu Ludovicum, conciliatos Principes, ac populos, eliminatas haereſes, aſſertumque Religionis ſplendorem magno honore exceptus eſt, & in praemium egregie navatae operae Tuſculano Epiſcopatu donatus. In Academia Pariſienſi Ciſtercien. Collegium a Benedicto XII. incoeptum perfecit, ſexdecim in Theologia auditoribus perpetuo fundatis, & celebre Templum, quod Bernardinorum dicitur, a fundamentis erexit. In exercendo onere Paſtorali, quod invitus ſuſceperat, multa ſucceſſoribus virtutis, & ſanctimoniae exempla reliquit. Nam hoſpites, & advenas exemplo S. Gregorii Magni Papae, quotidie ad menſam adhibuit. Pauperes urbanos, & exteros benigne fovit, infirmos conſolatus eſt, carceribus mancipatos viſitavit, pupillos, & viduas defendit, orationibus, & vigiliis ſedulo vacavit. His intentus operibus vocatus eſt ad aeternam mercedem recipiendam.

GUIDO DE BONONIA

ARCHIEPISCOPUS LUGDUNEN.

A CLEMENTE VI. AN. MCCCXLII. CR. PR. CARDINALIS TIT. S. CAECILIAE,

DEINDE EPISCOPUS PORTUEN.

OBIIT ILERDAE IN HISPANIA TARRACON. 25. NOV. 1373.

ROberti Bononiae, & Arverniae Principis filius, per matrem Blancham abnepos S. Ludovici Regis, apud Joannem Regem conſanguineum ſuum magna in aeſtimatione fuit. Ex Archiepiſcopo Lugdunenſi creatus Cardinalis Legationem obivit ad Ludovicum Hungariae Regem, ut eum arma illaturum in Regnum Neapolitanum cum Joanna Regina conciliaret. Rebus ex ſententia compoſitis Romam reverſus, cum Annibaldo Cardinali de Ceccano Annum Jubilaei 1350. celebravit, ſpatio quindecim dierum pro lucrandis Indulgentiis ad octo dies contracto, ut annonae difficultati prae ingenti advenarum concurſu conſuleretur. Ortam in Urbe ſeditionem cum Legati compoſuiſſent, Guido Patavium petiit, ubi Synodum habuit, & ex morbo convaluit ope S. Antonii, cujus Lipſana in Templo recenter in ejus honorem erecto, ſolenni pompa collocavit. Hinc expenſis ſuis onus ſuſcepit ſtatuendae pacis inter Joannem Galliae, & Eduardum Angliae Reges: mox feliciori exitu Legatus Innocentii VI. in Hiſpania pacem ſancivit inter Petrum Caſtellae, & Petrum Aragoniae Reges. Carolus IV. Romae ab Urbano V. Imperator coronatus Germaniam repetens Guidonem in partibus Italiae Vicarium conſtituit. Hinc iterum in Hiſpaniam miſſus eſt ad ſedandum novas Regum diſcordias. Ejus ſuaſu Rex Caſtellae Henricus cum Ferdinando Luſitaniae, & Carolo Navarrae Regibus foedus renovavit. Ilerdae obivit, Vir, inquit Petrarcha, magnanimus, ſuper quem, praeter unum Pontificem, nihil vidit ſtatus Eccleſiae militantis.

AE G I D I U S   A L B E R N O T I U S

ARCHIEPISCOPUS TOLETANUS

A CLEMENTE VI. AN. MCCCL. CR. PR. CARD.

TIT. SANCTI CLEMENTIS,

DEINDE EPISCOPUS SABINEN.

OBIIT VITERBII 24. AUGUSTI 1367.

MAgnanimi hujus viri praeclara geſta ab ejus aetatis Scriptoribus mirifice celebrantur. Sedis Apoſtolicae Legatus ab Innocentio VI. miſſus B. Petri Patrimonium a tyrannis vindicavit, ac plures Urbes, & Oppida in Aemilia, & Piceno Eccleſiae recuperavit. In Vicecomites praecipuos ea tempeſtate pacis everſores arma movit, ac Bernabonem prope Bononiam adeo luculento praelio vicit, ut paucis fuga delapſis, reliqui vel acie occubuerint, vel in manus victoris devenerint. Tota fere pacata Italia, Avenionem redeunti Innocentius VI. comitante univerſo Cardinalium Collegio procul ab Urbe obviam prodiit, & in Conſiſtorio magnopere laudatum Eccleſiae Patrem, Chriſtianæ libertatis vindicem omnium aſſenſu appellavit. In Hungariam profectus Ludovicum Regem nomine Pontificis convenit, ut eum ad tuenda armis Eccleſiae jura excitaret, quod feliciter perfecit. Aliam Legationem Neapoli obivit, & Joannam Reginam fidei ſacramento in Urbani V. verba adegit, quae Sedi Apoſtolicae Beneficiariam ſe profeſſa eſt. Bononiam ingentibus ornavit beneficiis, & Collegium pro Hiſpanica Natione ibidem erexit. Denique tota vita ſic ſe geſſit, ut eum boni omnes laudarent, ac diligerent, mali metuerent, eoque vindice impune peccare deſperarent. Corpus Aſſiſio Toletum ad Templum S. Ildephonſi haud communi pompa translatum eſt. Nam Gregorius XI. Pontifex hoc ejus meritis tribuit, ut quicunque feretrum quantocunque ſpatio humeris bajularent, eamdem Indulgentiam conſequerentur, quae anno Jubilaei viſitantibus Vaticanam Baſilicam conceditur. Non defuerunt toto itinere ingenui, nobileſque portitores.

NICOLAUS CAPOCCIUS ROMANUS

EPISCOPUS URGELL.

A CLEMENTE VI. ANNO MCCCL. CR. PR. CARD.

TIT. SANCTI VITALIS,

DEINDE EPISCOPUS TUSCULANUS.

OBIIT APUD MONTEM PHYSCONEM 3. MARTII 1368.

Singulari ingenii acumine, & praeſtantia praeditus, Peruſiae Juriſprudentiae docentibus Baldo, & Bartolo operam dedit, tantumque profecit, ut venerabilis, & juris peritiſſimus a Baldo nuncuparetur. Pro Romana Eccleſia contra Ludovicum Bavarum, alioſque rebelles invicte ſe geſſit. Ab Innocentio VI. cum Talayrando Cardinali mittitur ad Joannem Francorum, & Eduardum Anglorum Reges pacandos, nihil tamen licet aequiſſimis pacis conditionibus propoſitis apud Joannem impetrare potuerunt, qui iniquo certamine ſuperatus, & captus in Angliam traducitur. Tum Legati Joanne jam facto mitiore inducias inter illos conſtituunt. Eodem Legationis munere functi, diſcordias inter Carolum Navarrae Regem, & Carolum Ducem Normanniae compoſuere, & conſtituta pace inter Reges Angliae, & Scotiae in Italiam reverſi ſunt. Clariſſimis hiſce in Chriſtianam Rempublicam meritis illud ad Nicolai laudem accedit, quod & in Conſiſtoriis publicis, & concionibus ſuam libere proferret ſententiam, utpote fidem, aequitatemque omnibus humanis rationibus anteferens. Litigantibus pauperibus, quos bona cauſa niti animadvertebat, aderat conſiliis, & opibus, aere ſuo in eorum defenſionem conductis Cauſidicis. Ex paternis bonis Peruſiae Collegium, quod Sapientiam veterem appellant, erexit, in quo quadraginta Juvenes literarum ſtudiis integro ſeptennio gratis inſtituerentur.

Digitized by Google

ANDROINUS DE RUPE

IN COMITATU BURGUNDIAE NATUS

ABBAS CLUNIACENSIS

AB INNOCENTIO VI. AN. MCCCLXI. CR. PR. CARD. TIT. S. MARCELLI.

OBIIT VITERBII 28. OCTOBRIS 1369.

AEgidio Cardinali Albernotio Innocentii VI. juſſu ex Italica Legatione redeunti Androinus ſufficitur, qui in Religione tuenda, quam in adminiſtranda provincia fuit ſelicior. Reverſus in Galliam S. R. E. Legatus magnam adeptus eſt laudem ex pace conſtituta inter Eduardum IV. Angliae, & Joannem Galliae Reges, qui Caleti convenientes coram illo ſacris operante, pacis conditiones jurejurando confirmaverunt. Foederati Reges ab Innocentio VI. obtinuerunt, ut Androinum in Sacrum Cardinalium Collegium adſciſceret. Ab Urbano V. Legatus decernitur adverſus Barnabonem, & Galeatium Vicecomites Bononiam, & Aemiliam occupantes, qui praelio victi, pacem ab eo exorarunt, quam ſancivit, conditionibus pro dignitate Apoſtolicae Sedis, ejuſque juribus accommodatis. Curiam Bononiae refecit, atque amplificavit, Patricios Romanos, & praecipue Joannem de Comitibus auctoritate Pontificis magnis beneficiis ornavit, & Templum Sancti Marcelli, alio translatis Canonicis, quibus erat praepoſitus, Servis B. M. V. conceſſit. Sermones docte, pieque ſcripſit pro diebus feſtis, & ſtatum Italicarum rerum Eccleſiae Romanae, quem miſit ad Innocentium VI. Peſte obiit relicta ubique magna probitatis fama, & Monaſterio Cluniacenſi, quod Abbas gubernaverat, egregiis libris, variiſque, & nobilibus monumentis ditato, quo ejus corpus Viterbio translatum eſt.



JOANNES DE DORMANIS

EPISCOPUS BELLOVACEN.

AB URBANO V. ANNO MCCCLXVIII. CR. PR. CARD.
TIT. SS. QUATUOR CORONATORUM.

OBIIT LUTETIAE 7. NOVEMBRIS 1373.

MOrum probitate , ingenii laude , & ſacra Scripturarum ſcientia celebris Regnante Carolo V. Franciae Cancellarius fuit. Sub Gregorio XI. Legatione functus eſt cum Simone Cardinale de Langham apud Galliae, & Angliae Reges ad concordiam inter eos ſtatuendam. Gymnaſium Bellovacenſe, vel Dormanum appellatum, Pariſiis erexit. Viduis, & pupillis, aliiſque id genus deploratis hominibus parato ſemper aere ſuccurrit, dictus propterea pater pauperum, & orphanorum. Excellens juriſprudentia & eloquentia ex Advocato in ſuprema Pariſienſi Curia ad ſeculi, & Eccleſiae dignitates eum evexerunt, fama virtutum vivum mortuumque meritis laudibus cumulavit. Pariſiis in Templo Carthuſianorum, quos opibus auxit, requieſcit in ſepulchro egregio marmore, & aenea ejus ſtatua exornato.



A.G.ſc.

PHILIPPUS CABASSOLAEUS CABELLICEN.

PATRIARCHA HIEROSOLYMITANUS

AB URBANO V. AN. MCCCLXVIII. CR. PR. CARD.

TIT. SS. MARCELLINI, ET PETRI,

DEINDE EPISCOPUS SABINEN.

OBIIT PERUSIAE 27. AUGUSTI 1372.

Ex Epiſcopo Cabellicenſi creatus Patriarcha Hieroſolymitanus Innocentii VI. juſſu in Germaniam Legatus mittitur ad decimas colligendas pro reſtituendo B. Petri Patrimonio bellorum injuriis prorſus devaſtato. Ab Urbano V. in Italiam proficiſcente Vicarius generalis Avenione conſtituitur, dumque ea dignitate laudabiliter fungitur, nihil tale cogitans in ſacrum Cardinalium Collegium cooptatur. Eccleſiae calamitatibus mirifice virtute ſua profuit. Gregorius XI. initio Pontificatus eum in Umbriam, Hetruriam, Campaniam, aliaque finitima loca Legatum miſit, commiſſa ei rerum tum Divinarum, tum humanarum cura. Bonarum artium cultor, ac patronus maxime fruebatur Franciſci Petrarchae conſuetudine, qui eum inter Cardinales adſcriptum alloquens, dixit non aſſentatorie = Non ſolum hoc panniculo non ſuperbis, ſed nec qualibet purpura, aut corona; imo (& funditus te novi) factus humilior nulla te re alia, quam ſolis auctum curis ſentis.



Digitized by Google

SIMON DE LANGHAN

ORDINIS S. BENEDICTI

ARCHIEPISCOPUS CANTUARIEN.

AB URBANO V. AN. MCCCLXVIII. CR. PR. CARD.

TIT. SANCTI SIXTI,

DEINDE EPISCOPUS PRAENESTINUS.

OBIIT AVENIONE 22. JULII 1376.

WEſtmonaſterienſis Coenobii Abbas electus ob praeclaras animi dotes Eduardo III. procurante Archiepiſcopus Cantuarienſis renunciatur. A Gregorio XI. cum Joanne Cardinali de Dormanis in Galliam, & Angliam ad conciliandos earum Reges Legatus mittitur. Strenuam uterque procurandae paci operam navavit, quam omnem bellicus ſuror eluſit. Sapientiae ejus famam confirmant datae ad eum a Sancta Catharina Senenſi Epiſtolae & commiſſa ei iterum a Gregorio Anglicana Legatio, quam morte praeventus non obivit. Floruit Simon eximia in pauperes caritate, ac munificentia in Religioſos Ordines. Weſtmonaſterienſem Eccleſiam plurimum exornavit, ac Templum Carthuſianorum Bonipaſſus a fundamentis erexit.



PETRUS DE CORSINIS FLORENTINUS

EPISCOPUS FLORENTIAE

AB URBANO V. ANNO MCCCLXX. CR. CARDINALIS

TIT. S. LAURENTII IN DAMASO,

DEINDE EPISCOPUS PORTUEN.

OBIIT AVENIONE 16. AUGUSTI 1405.

NObilitate, & doctrina praeclarus primum Volaterranus, deinde Florentinus Epiſcopus creatur. Ejus opera inter Carolum IV. Imperatorem, Ludovicum Poloniae Regem, Rodulphum Auſtriae Ducem, & Joannem Moraviae Marchionem, ad quos pro Urbano Legationem obivit, pax ſummo Reipublicae Chriſtianae bono firmata eſt. Sacro Cardinalium Collegio adſcriptus, a Gregorio XI. Legatus inſtituitur per univerſam Italiam, ut Religioſas Familias utriuſque ſexus relaxatione, & bellorum motibus labefactatas ad priſtinam legum obſervantiam revocaret, Clerique corruptos mores, ac foede collapſum Religionis cultum repararet. Quod per Concilia Provincialia, & Synodos Dioeceſanas magna ex parte ſtrenue perfecit. Gregorio XI. vita functo interfuit Comitiis Urbani VI., cujus aſperitate offenſus ſeptemdecim Cardinales ſequutus eſt, qui Fundis Pſeudo-pontificem Clementem VII. elegerunt. Quamobrem eum Urbanus gradu Cardinalatus amovit. Facti poenitens Tractatum ſcripſit de abolendo ſchiſmate, totuſque incubuit, ut concordibus Principibus unus eſſet Paſtor Eccleſiae, & unum ovile. Petrum ob ſingularem ſapientiam Carolus IV. inter Imperii Principes adſcivit, quam dignitatem ejus gratia voluit propagatam in omnes Florentinos Epiſcopos. Corpus Avenione ex ejuſdem Teſtamento translatum Florentiam in Cathedrali Eccleſia quieſcit.

P H I L I P P U S   D E   A L E N Ç O N I O

ARCHIEPISCOPUS ROTHOMAGENSIS

AB URBANO VI. ANNO MCCCLXXVIII. CR. PR. CARD.


TIT. S. MARIAE IN TRANSTYBERIM,

DEINDE EPISCOPUS SABINEN.

OBIIT ROMAE 16. AUGUSTI 1397.

E Regum Galliae progenie, Caroli II. Comitis Alençonii filius, egregiis diſciplinis inſtructus ea optimae indolis, ac ingenii ſpecimina dedit, ut merito ad primarios Eccleſiae honores adhuc adoleſcens aſcenderet. Archiepiſcopus Rothomagenſis renunciatus, quod Carolo V. Regi Clericum minus aptum Eccleſiae bonis ditare volenti reſtitiſſet, eum non leviter offendit; utque ſibi caveret, relicto Archiepiſcopatu ad Urbanum VI. confugit, a quo benigne exceptus, inter Cardinales annumeratus eſt. Summa auctoritate Legatus decernitur in Patrimonium S. Petri ad colligendos milites pro reſtituendo in Regnum Neapolitanum Carolo III. Creatus Patriarcha Aquileienſis, cum ejus gentis Principes eum recipere detractarent, anathemate, ac vi armorum tandem ſedem ſuam adeptus eſt. Id belli genus Urbanus improbavit, & eum Clementi Pſeudo-Pontifici faventem omni dignitate ſpoliavit. Ad priſtinos honores revocatus a Bonifacio IX. ad Sabinenſem primum, mox ad Oſtienſem Epiſcopatum promotus eſt. Romae e vita exceſſit ea probitatis fama, quam indicant haec verba ab ejus Epitaphio apud S. Mariam Tranſtyberim excepta:

Eccleſiae Cardo tanta virtute refulſit,
Ut ſua ſupplicibus cumulentur marmora votis.



Digitized by Google

ANGELUS ACCIAJOLUS FLORENTINUS

FLORENTIAE EPISCOPUS

AB URBANO VI. AN. MCCCLXXXIV. CR. CARDINALIS
TIT. S. LAURENTII IN DAMASO,

DEINDE EPISCOPUS OSTIEN.

OBIIT PISIS 15. JUNII 1417.

EGregium Civem ab Rampollano ad Patriae Epiſcopatum tranſlatum Florentini omnibus honoris, ac laetitiae ſignis exceperunt. Plures, eaſque difficiles Legationes ſedente Bonifacio IX., adminiſtravit. Robertum Comitem Palatinum Rheni a Germanis Proceribus in Regem Rom. electum, Apoſtolica auctoritate approbavit, & confirmavit. Gubernator, ac tutor Uladislai pueri Caroli Dyrrachii filii, illum Regem Neapolis unxit, & coronavit ſolemni recepto Beneficiarii Juris ſacramento. Legationis munere ſunctus in Hungaria, Dalmatia, & Croatia eundem Uladislaum Boniſacii IX. juſſu, Hungariae Regem impoſito Diademate declaravit. Saeviente Clementis VII. Pſeudo-Pontificis ſchiſmate, apologeticum librum contra Tranſalpinos Cardinales de Urbani VI. electione ſcripſit, in quo ſapienter differit de opportuno remedio malis Eccleſiae adhibendo. Vir in Senatoria ſententia dicenda ſapientiſſimus. Deceſſit Piſis, quo ad Concilium ſe contulerat. Corpus ad Florentiae Carthuſiam ab ejus majoribus ſundatam, delatum eſt, ibique aſſervatur miſſa ad eum a S. Birgitta epiſtola conſolatoria in morte conſobrini ejus Nicolai Acciajoli.

B. BONAVENTURA BADUARIUS DE PERAGA PATAVINUS

ORDINIS FF. EREMITARUM S. AUGUSTINI

AB URBANO VI. AN. MCCCLXXXIV. CR. PR. CARDINALIS

TIT. SANCTAE CAECILIAE.

OBIIT ROMAE ANNO 1379.

VItae innocentia, literarumque eruditione commendatus ad ſummum Ordinis ſui Magiſtratum aſcendit. Ab Urbano VI. abſens, nihilque tale cogitans inter Cardinales adoptatur: primus qui ex Eremitarum Ordine ad Purpurae Dignitatem aſſumptus eſt. Nunquam Roma diſceſſit, publicis Eccleſiae rebus non minus intentus, quam privatis pietatis officiis. Ortae ſunt inter eum, & Franciſcum Carrarienſem Patavii tyrannum graves ſimultates, quod hic jus Eccleſiaſticum foede conculcaret, Baduarius vero impiis ejus conatibus ſtrenue ſeſe opponeret. Ea re Carrarienſis vehementer commotus, vindictaeque cupidus per occultos ſicarios, ut creditum eſt, egit, ut aſſertor Eccleſiaſticae libertatis de medio tolleretur. Sublatus eſt quidem pro votis nefarii hominis: nam cum ad Vaticanum pergeret in Ponte Aelio ſagitta confoſſus eſt, auctore ſceleris nuſquam cognito, aut reperto. Beati titulo cohoneſtatus eſt, ac veluti Martyr celebratus. Multa ſcripſit pietatem, ac ſapientiam auctoris teſtantia, coluitque maxime Petrarcham, cui egregia oratione funebri nondum Cardinalis in Patavino Gymnaſio parentavit. Corpus Romae in Eccleſia Sancti Auguſtini conditum eſt.



JOANNES DE BRONIACO

ANICII NATUS

EPISCOPUS VIVARIEN.

A CLEMENTE VII. A. P. AN. MCCCLXXXV. CR. PR. CARD.

TIT. SANCTAE ANASTASIAE,

DEINDE EPISCOPUS OSTIEN.

OBIIT ROMAE 16. FEBRUARII 1426.

OBſcuris parentibus ortus, generis humilitatem virtutis, doctrinaeque ſplendore compenſavit. Magni animi, & conſilii vir tametſi Dignitatum decora in ſchiſmate aſſecutus fuiſſet, nihilominus ita unitatis, & pacis Eccleſiae amans fuit, ut Benedictum A.P. ſæpe per ſacra omnia conteſtaretur, ut abiret munere illo, quod ſine gravi noxa, diſpendioque aeternae ſalutis, ac ſumma Fidelium offenſione, & detrimento Eccleſiae retinere non poſſet. Qui cum haud acquieſceret bene monenti, ac deprecanti, Joannes relicto eo, damnatoque ſchiſmate in Italiam clam profugiens, Piſas contendit, ubi celebrabatur Concilium, a quo benigne acceptus, in Dignitate Cardinalitia confirmatus eſt, & cum ceteris Patribus Alexandrum V. Pontificem creavit. Conſtantienſi quoque interfuit Concilio, cui aliquando praeſedit, auctorque praecipuus fuit, ut Martinus V. ſalutaretur Romanus Pontifex. Avenione Collegium fundavit, in quo bono ingenio, anguſtis autem domi rebus juvenes liberalibus artibus excoletentur.



Digitized by Google

B. PETRUS DE LUCEMBURGO

A CLEMENTE VII. A. P. EPISCOPUS METEN.

HINC ANNO MCCCLXXXVI. CR. DIAC. CARD.

TIT. S. GEORGII IN VELABRO.

OBIIT AVENIONE 5. JULII 1386.

PAtre Guidone Lucemburgico, & Matilde Caſtillionaea S. Pauli Comitiſſa e Campaniae Comitibus oriunda natus eſt. Puer bonam animam ſortitus ſoli Deo placere ſtuduit. XV. aetatis anno ex Carnotenſi Archidiacono a Clemente VII. A.P. Metenſis Epiſcopus declaratur; cujus mandatis obtemperare coactus, eum enim legitimum eſſe Pontificem arbitrabatur, Eccleſiae adminiſtrationem ſuſcepit, & Metenſem Civitatem nova prorſus, & inuſitata pompa verus Chriſti diſcipulus aſinae pullo inſidens, contemta ſeculi vanitate ingreſſus eſt, zelo in paſcendo Grege factus toti Galliae admirabilis. Avenionem accerſitur, & Sacro Cardinalium Collegio aggregatur. Auctus ea Dignitate in humilitate perſeveravit, & ſpretis fluxarum rerum illecebris, perpetuam converſationem habuit in Caelis. Morbo ex auſteritate vitae contracto, anno aetatis XXII. puriſſimam animam Creatori ſuo reddidit. Ob innumera ad ejus tumulum patrata miracula Clemens VII. ejus ſacras Reliquias honorifice collocari, ipſumque pro Beato coli conceſſit, dato Diplomate, in quo Cardinalem non appellavit, ne Clementis Anti-Papae in eo creando auctoritatem probare videretur.

PETRUS DE FUXIO SENIOR IN BEARNIA NATUS

ORDINIS FRATRUM MINORUM

ARCHIEPISCOPUS ARELATEN.

A BENEDICTO XIII. A. P. AN. MCCCCVIII. CR. PR. CARD. TIT. S. STEPHANI IN MONTE CAELIO,

DEINDE EPISCOPUS ALBANEN.

OBIIT AVENIONE 13. DECEMBRIS 1464.

E Bearniae Principibus ortum Benedictus XIII. A. P., ut eoſdem in ſua obedientia contineret, Archiepiſcopum tum Arelatenſem Purpurae Dignitate decoravit. Illius partes ſecutus eſt uſque ad Concilium Conſtantienſe, ad quod unionis Eccleſiae procurandae gratia, divino monitu profectus, derelicto denique Benedicto, Martino V. ſuffragatus eſt, mox cum aliquibus Pſeudo-Cardinalibus legitimus Sanctae Romanae Eccleſiae Cardinalis agnitus & confirmatus. Legationibus Sardiniae, & Siciliae ſecunda nominis ſama perfunctus, munus idem in Hiſpania obivit, Regeſque Caſtellae, & Aragoniae bello decertantes conciliavit. Schiſma quod, mortuo Benedicto, ſupererat, ſuſtulit, & Aegidium Munionem in ejus locum ſubrogatum, illegitimo Pontificatu abire coegit. In praemium optime navatae operae Avenionenſi Provinciae praeficitur. Orto novo ſchiſmate inter Eugenium, & Felicem V. A.P., partes Eugenii conſtantiſſime tutatus eſt. Alphonſo Carilio Hiſpano Diacono Cardinali S. Euſtachii in Avenionenſem Legationem ab A.P. intruſo, bellum intulit, eoque fugato Avenionem recepit. Adminiſtrata ſumma omnium gratia, & laude, ea Legatione uſque ad Pauli II. tempora vulgo bonus Legatus appellatus eſt. Aetate omni ad ultimam ſenectutem laudabiliter peracta, Decus Seraphici Ordinis, obiit Avenione ſundato Caeleſtinorum Monaſterio, ampliſſimoque Collegio, in quo vigintiquinque adoleſcentes in utroque Jure inſtituerentur.

Digitized by Google

FR. JOANNES DOMINICUS FLORENTINUS

ORDINIS FRATRUM PRAEDICATORUM

ARCHIEPISCOPUS RAGUSINUS

A GREGORIO XII. AN. MCCCCVIII. CR. PR. CARD.
TIT. S. SIXTI.

OBIIT BUDAE IN HUNGARIA 10. JUNII 1419.

OBſcuro loco natus Ordinem S. Dominici, a quo cognomen accepit, profeſſus eſt, eoque ingenio, & ſolertia emicuit, ut interpoſito juramento, in libro a ſe ſcripto aſſeruerit, nullo adhibito praeceptore, diſciplinas per ſe didiciſſe, ac percepiſſe ſere omnes. Faeſulis Monaſterium S. Dominici fundavit. Regularis vitae in Italia reparator fuit, ex cujus inſtitutione prodierunt cum S. Antonino viri alii Ordinis ſui praeclariſſimi, qui in ea temporum infelicitate diverſas Italiae regiones verbo, & opere ad bonam frugem revocaverunt. Gregorius tantum virum nil tale cogitantem, imo recuſantem, Cardinalem inſtituit, cujus nomine Legatus Concilio Conſtantienſi interfuit, eique perſuaſit, ut ſe Pontificatu abdicaret. Mox cum & ipſe Cardinalatum deponere, & inter Epiſcopos ſedere conſtituiſſet, id Patres & Sigiſmundus Imperator non paſſi, eum juſſerunt, uti prius, & Legatum, & Praeſidem ea in Synodo agere. Auctor fuit praecipuus unionis Eccleſiae, & extincti ſchiſmatis. Martinus V, ut Sigiſmundo obtemperaret, Dominicum ei comitem itineris dedit, & in Hungariam & Bohemiam deſtinavit ad profligandam haereſim Huſſitarum. Budae, quo ea penetraverat, tantum concionibus, & bonis operibus valuit, ut Cives illum veluti ſalutis ſuae auctorem coluerint, & mortuum, ut parentem optimum, luctu publico defleverint. Miracula ad ejus ſepulcrum patrata viri ſanctimoniam declarârunt, eumque Beati titulo cohoneſtârunt.

Digitized by Google

ANTONIUS CORARIUS VENETUS

EPISCOPUS BONONIEN.

A GREGORIO XII. AN. MCCCCVIII. CR. PR. CARD.

TIT. SANCTI PETRI AD VINCULA,

DEINDE EPISCOPUS OSTIEN.

OBIIT PATAVII 19. JANUARII 1445.

GRegorii XII. fratris filius Canonicus Congregationis Sancti Georgii in Alga, cujus fuerat auctorum unus, primum Bononienſi Praefectus Eccleſiae, deinde Patriarcha C.N. poſtremo Cardinalis renunciatus eſt. Conſtantienſi Concilio interſuit, & Patrui a Pontificatu abdicationem inter alios Cardinales ſedens confirmavit. Pro Martino V. apud Senenſes, & Peruſinos res laudabiliter geſſit. Mira ejus in omnes liberalitas, maximeque in pauperes, & egenos colonos nuperis bellis exhauſtos, enituit, nec diſpar fuit ejus in Religioſas Familias ſtudium. Duas enim Abbatias Veronae, & Patavii Benedictinis conceſſit, & in loca alia, quae ſummi Pontificis benignitati accepta ferebat, primos poſſeſſores revocavit. Ut reliquam aetatem a ſtrepitu mundano alienam tranquille duceret, ad Coenobium Patavinum S. Joannis Baptiſtae, tamquam ad aſylum beatae ſolitudinis, ſe contulit, in quo anguſta cellula, repudiatis omnibus aulae obſequiis, communi victu Religioſorum virorum contentus, antiquum inſtitutum profeſſus eſt, dies, nocteſque in Dei cultu tranſigens ad extremam uſque ſenectutem.

Digitized by Google

ALAMANUS ADIMARIUS FLORENTINUS

ARCHIEPISCOPUS PISANUS

A JOANNE XXIII. AN. MCCCCXI. CR. PR. CARD.
TIT. S. EUSEBII.

OBIIT TIBURE 27. SEPTEMBRIS 1422.

CUm magna prudentiae, & probitatis laude inter ceteros ea aetate clariſſimos Antiſtites excelleret, & pro Romana Eccleſia Legatione ſungeretur in Galliis, abſens ſacra Purpura decoratur. Mox in Hiſpaniam mittitur ut Regnum illud, ſublato ſchiſmate, Apoſtolicae Sedi reconciliaret, & contra Saracenos Hiſpanicam gentem excitaret. Communi Reipublicae Chriſtianae bono natus, in Piſano primum, deinde in Conſtantienſi Concilio uſque ad ſelicem exitum neminem veritus, laboravit intrepide: praecipuus auctor, ut Otho Cardinalis Columna, Martinus V. dictus, Pontiſex Maximus crearetur. Ab eo in Aragoniam Sedis Apoſtolicae Legatus deſtinatur, ut Petrum de Luna ad dimittendam uſurpatam Supremae Sedis poteſtatem poenis, ac cenſuris Eccleſiaſticis cogeret. Verum eo obſurdeſcente ad ſalutaria monita, poſt pronunciata in eum anathemata, Romam reverſus eſt. Doctorum virorum doctiſſimus ipſe amator, & cultor fuit, quorum laudibus maxime celebratur. Peſte obiit Tibure, & ejus corpus Romam delatum in Templo S. Mariae Novae tumulatum eſt.



Io Petroschi sc.

PETRUS DE ALLIACO COMPENDII

IN PICARDIA NATUS

EPISCOPUS CAMERACEN.

A JOANNE XXIII. AN. MCCCCXI. CR. PR. CARD.

TIT. SANCTI CRYSOGONI.

OBIIT CAMERACI 9. AUGUSTI 1425.

PAriſienſis Academiae Cancellarius, ac Regii Navarrae Gymnaſii Magiſter virtute ſua ad ſummos Eccleſiae Honores viam ſibi aperuit. Carolo VI. Francorum Regi factus a ſacris Largitionibus, & Confeſſionibus, & Capellae Regiae Pariſienſis Theſaurarius, tam diverſis muneribus par unus eſſe potuit, & modo in Schola, modo in Aula verſatus, utriuſque mores ad omnia honeſtatis officia compoſuit. A Bonifacio IX. ad Cameracenſis Eccleſiae regimen promotus, gregem ſibi commiſſum magno zelo curavit, parique ſtudio ſchiſma, quod tunc Romanam Eccleſiam vexabat, extinguere conatus eſt. Eo enim auctore generale congregatum eſt Piſis Concilium, in quo Romanus Pontifex creatus eſt Alexander V. Joannes XXIII., qui Alexandro ſucceſſit, ut doctorum virorum praeſidio ſe muniret, Petrum inter alios, in Cardinalium numerum adlegit, & Legatum in Germaniam miſit. Conſtantienſi Concilio, & electioni Martini V. interfuit. In omnibus Synodi negotiis aſſiduam, egregiamque operam navavit. Soluto Concilio ad Eccleſiam ſuam rediit, quam ſanctis moribus, & inſtitutis illuſtravit. Nomen ipſum Petri Alliaci in Religione, & literis elogium eſt.

BRANDA CASTELLIONAEUS MEDIOLANEN.

EPISCOPUS PLACENTINUS

A JOANNE XXIII. AN. MCCCCXI. CR. PR. CARD.

TIT. S. CLEMENTIS,

DEINDE EPISCOPUS PORTUEN.

OBIIT CASTELLIONE 5. FEBRUARII 1443.

MAgni nominis J. C. ſub Bonifacio IX. ſaeviente diuturno ſchiſmate, ſemel atque iterum miſſus in Germaniam Legatus nihil non egit pro Eccleſiae unione. Placentiae creatus Epiſcopus Dioeceſim ſancte, ac prudenter gubernavit. Innocentii VII., & Gregorii XII. gratia, & familiaritate floruit. Huic tamen refragari non dubitavit ob dilatum jusjurandum in electione ſua praeſtitum de abolendo ſchiſmate. Cardinalis renunciatus a Joanne XXIII., Conciliis Piſano, & Conſtantienſi interfuit. A Martino V. in Bohemiam contra Huſſitas, & in Hungariam pro Eccleſiae pace Legatus, populos in Chriſti fide nutantes confirmavit. Sigiſmundo Caeſari acceptiſſimus, ejuſdem Vicarius in Italia conſtituitur. Eugenius IV. alia eum Legatione ornavit, ut inter Romanam Eccleſiam, & Philippum Mariam Vicecomitem Mediolani Ducem, pacis foedus ſtatueret. Cum eſſet Abbas Commendatarius Monaſterii S. Ambroſii Mediolanen., vitae diſcrimen ſubiit, quod Ritus Ambroſiani Caeremonias antiquare vellet, & Romanas introducere. Noluit ſaepius rogatus, intereſſe Concilio Baſileenſi, illud contra Eccleſiam, non pro Eccleſia coactum affirmans. Duo Collegia, alterum Ticini, alterum Caſtellione pro Juvenum inſtitutione erexit. Nonagenario major, & meritis cumulatus naturae debitum exolvit.

FRANCISCUS ZABARELLA
PATAVINUS
EPISCOPUS FLORENTINUS
A JOANNE XXIII. AN. MCCCCXI. CR. DIAC. CARD.
TIT. SS. COSMAE, ET DAMIANI.

OBIIT CONSTANTIAE 13. NOVEMBRIS 1417.

Pontificio, ac Caeſareo Jure, & dicendi facultate adeo inſignis fuit, ut merito inter aevi ſui Oratores, Juriſperitos, & Eccleſiae Antiſtites primum locum obtinuerit. Tantum virum Joannes XXIII., magnum ſibi in literis praeſidium ſtatuens, primo Epiſcopum Florentinum, jam ante a populo electum, deinde Cardinalis renunciavit. Ut tandem graviſſimum ſchiſma extingueretur, multos labores, pericula, & peregrinationes ſubiit, Sedis Apoſtolicae Legatus ad Sigiſmundum Imperatorem pro congregando Concilio Conſtantienſi, in quo abſentis Pontificis vices geſſit. Extincto ſchiſmate, cum de Pontifice creando ageretur, omnes Ordines in Zabarellam collimabant; at mors octogenarium vitae, & imminentibus ſupremis Infulis eripuit. Sancta Synodus funus ejus Ritu ſolenni celebravit, illud cohoneſtante ipſo Sigiſmundo. Poggius Florentinus funebrem habuit orationem. Supra modum liberalis in omnes fuit, praeſertim in pauperes. Concilii tempore Praeſules inopes, quos diuturnitate temporis exhauſtos nôrat, omni, qua potuit, ope ſuſtentavit. Domi ſemper parcus, foris profuſus, mutuum accipiebat, ut aliorum indigentiam ſublevaret. Edidit quindecim volumina erudite, & docte ſcripta, res varias, omneſque fere ſcientias complectentia.

GUILIELMUS PHILASTRIUS

CAENOMANEN. DIOECESIS

ARCHIEPISCOPUS AQUARUM SEXT.

A JOANNE XXIII. ANNO MCCCCXI. CR. PR. CARD.

TIT. S. MARCI.

OBIIT ROMAE 13. NOVEMBRIS 1428.

Eccleſiae Rhemenſis Decanus, & in utroque Jure Doctor praeclarus, in Conventu Pariſienſi ad ſchiſma in Eccleſia extirpandum indicto, Benedicto XIII., quem verum Pontificem putabat, patrocinatus eſt, & Eccleſiae Gallicanae libertates acriter impugnavit; quamobrem viſus eſt Regem, & Proceres non mediocriter offendiſſe. Mitius poſtmodum agens, Regique reconciliatus Archiepiſcopatum ad Aquas Sextias obtinuit, & ob doctrinam ſingularem Purpura donatus eſt. Synodo Conſtantienſi magna nominis celebritate interfuit. In Seſſione XXXIV. praeclaram habuit orationem ad Patres, acceptis Sancti Petri verbis his pro themate = *Tempus eſt, ut incipiat judicium a domo Dei*; in qua prolixius concordiae bona exponens, pacem Eccleſiae, & unionem plurimum commendavit. Martino V. ſuffragatus eſt, a quo in Gallias Legatus a latere cum Jordano Cardinali Urſino pro unione in Eccleſia perficienda laboravit. Exceſſit e vita octogenarius, ab Aula Romana habitus multo in pretio, ac veneratione. Corpus in Templo S. Cryſogoni requieſcit.

JACOBUS INSULANUS BONONIEN.

A JOANNE XXIII. AN. MCCCCXIII. CR. DIAC. CARD.

TIT. S. EUSTACHII.

OBIIT MEDIOLANI 9. FEBRUARII 1431.

UTriuſque Juris Doctor inſignis, & unus ex ſexdecim Bononiae Reformatoribus, Uxori ſuperſtes in Clerum adlectus eſt. Tantum virtute profecit, ut ad Purpurae decus evehi mereretur. In Hetruria Legatus a Latere contra tyrannos, qui totum fere Patrimonium Eccleſiae temere uſurpabant, conſtitutus, brevi Provinciam illam in Romanae Eccleſiae poteſtatem redegit, cohibitis hoſtibus, ne quid inde novi tentarent. In Alma Urbe Pontificis cum in ſpiritualibus, tum in temporalibus Vicarius conſtitutus, cum multa ad retinendum in officio populum ſtatueret, a Braccio Montorio juſſu Uladislai Regis in Mole Hadriani detentus eſt; quem Attendulus Sfortia liberavit. A Philippo Maria Mediolanenſium Duce, cui ob ingenuos mores, doctrinaeque praeſtantiam erat cariſsimus, Genuae Gubernator conſtitutus, Ligures quinquennio prudentiſſime rexit. Sedente Martino V., in Galliam ad tumultus ſedandos miſſus, eo munere magna cum laude, Regnique utilitate perfunctus eſt. Pietas in Deum, & munificentia in pauperes ejus nomen valde illuſtrârunt.



Digitized by Google

DOMINICUS CAPRANICA ROMANUS

EPISCOPUS FIRMANUS

A MARTINO V. AN. MCCCCXXIII. CR. CARD.

NON TAMEN PUBLICATUS, SED AB EUGENIO IV. RENUNC.

PR. CARD. TIT. S. CRUCIS IN HIERUSALEM.

OBIIT ROMAE 14. AUGUSTI 1458.

INter primos Camerae Apoſtolicae Clericos, deinde in Secretariorum numerum clariſſimis totius Orbis viris Collega additus eſt. A Martino V. ad diſſolvendum Concilium Senas miſſus, ea prudentia ſe geſſit, ut Concilium idem Baſileae poſt aliquot annos celebrandum indiceretur. In Flaminia Legatus Urbes in fide S. Sedis continuit, reſque innovare molientes, cenſuris, & armis cohibuit. Firmi Epiſcopus declaratus, cum Peruſiam, & Ducatum Spoletanum difficillimis temporibus laudabiliter adminiſtraſſet, Cardinalium Collegio adſcribitur, non tamen tunc publicatus, ſed ut dicunt, in pectore reſervatus. Hinc Martino defuncto, Dominicus fruſtra, ut ad electionem Pontificis admitteretur, petiit. Ab Eugenio IV., cui jus ſuum per triennium probare, aut ſuadere vix potuit, tandem Cardinalis non dubius declaratus, Piceno praeficitur: quam Provinciam pulſo Franciſco Sfortia in fidem recepit, pacatamque gubernavit. Apoſtolicas Legationes a Nicolao V. demandatas ita peregit, praecipue apud Alphonſum Neapolis Regem, ut tandem tranquilla Italia ad Dominicum commune bonum referre videretur. Si quid contra Religionis exiſtimationem, ſive Apoſtolicae Sedis majeſtatem, fieri a Cardinalibus praeter eorum Dignitatem videbat, qui Principum benevolentiam ſibi conciliare ſatagerent, quam aegerrimo animo tulit, eorumque conatibus, quoad potuit, ſemper obſtitit. Omnibus tanta in veneratione fuit, & Collegis ſuis praecipue, ut ſuprema Tiara dignus palam praedicaretur. Eos, in quibus nitor integritatis, & virtutis ſpecimen ineſſet, pro virili parte ad honores extulit, affirmans, Chriſtianam Religionem poſitam in tuto fore, ſi in miniſtrorum virtute niteretur. Hinc ex ejus domo plures pietate, & literis clariſſimi viri, velut ex virtutis ſeminario, prodierunt. Fundator fuit Collegii nomine ſuo Capranici nuncupati, quod ad haec uſque tempora floret.

B. LUDOVICUS ALEMANDUS SEQUANUS

ARCHIEPISCOPUS ARELATENSIS

A MARTINO V. ANNO MCCCCXXVI. CR. PR. CARD.
TIT. S. CAECILIAE,

OBIIT IN CASTRO SALONAE PROPE ARELATEM.
16. SEPTEMBRIS 1450.

EX illuſtri Arbenciorum familia primum Magalonenſis Epiſcopus, tum Archiepiſcopus Arelatenſis, demum Cardinalis creatur a Martino V., qui eum Legatum miſit Bononiam, deinde Baſileam ad Concilium eodem convocatum. Mortuo interim Martino, Eugenio IV. ejus Succeſſori alio Concilium transferre nitenti, obſequium ſe putans praeſtare Deo, repugnavit. Vir Eccleſiaſticae diſciplinae tenaciſſimus, querebatur nimia indulgentia ſolvi eas leges, in quibus condendis Conſtantienſis Synodus tam impenſe incubuiſſet. Eo autem indigna res proceſſit, ut depoſito per Conciliabulum Eugenio ſubrogaretur Pſeudo-Pontifex Felix V., quem auſus eſt Ludovicus Pontificio Diademate coronare: qua re ab Eugenio omni Eccleſiaſtica Dignitate ſpoliatus eſt. Tandem mortuo Eugenio ad ſanam mentem reverſus magna cura ſarſit, quod ſciderat, auctorque fuit Amedaeo, ut rejecta falſa dignitate, ſeſe Nicolao V. ſubmitteret. Priſtinis Honoribus a Nicolao reſtitutus, incredibile dictu eſt, quo zelo, quotque virtutibus commiſſum ſcelus eluerit. Totus fuit in promovendo cultu Religionis, ac S. Sedis, in reparandis, atque aedificandis Templis, in ducenda denique vita prorſus Apoſtolica. Obiit Sexagenarius, totaque fere Provincia Arelatem, ad ejus funus celebrandum confluxit. Multa, & ingentia ad ejus tumulum patrata ſunt miracula, quibus motus Clemens VII. eum retulit, non tamen ſolenni ritu, in numerum Beatorum.

Digitized by Google

HENRICUS BELFORTIUS

EPISCOPUS WINTONIENSIS

A MARTINO V. AN. MCCCCXXVI. CR. PR. CARD.

TIT. SANCTI EUSEBII.

OBIIT IN ANGLIA 11. APRILIS 1447.

JOannis Ducis Lancaſtriae filius, & Henrici V. Angliae Regis Patruus magna pietatis, & prudentiae laude floruit. Eum Cardinaſium Collegio adſcripſit Martinus V., & in univerſis Germaniae, Hungariae, Bohemiae, & Angliae Regnis contra Huſſitas Apoſtolicae Sedis Legatum conſtituit, adjecta auctoritate cogendorum exercituum adverſus eos, Cruciſque ubique praedicandae. Rebus ob Catholicorum ignaviam minus feliciter geſtis, Henricus in Angliam navigavit, inde in Galliam cum novo milite trajecit, ut nutantes ibi res Anglorum confirmaret. Pacem inter Carolum VII. Francorum, & Henricum VI. Anglorum Reges, & Philippum Burgundiae Ducem ſancivit. Ingentes divitias cum paternas, tum variis in muneribus comparatas, non in ſuos, ſed in ſingulas Angliae Cathedrales Eccleſias, & Coenobia ex teſtamento legavit. Bonarum artium cultor, & fautor, Oxonii duo erexit Collegia, Cantuariae Bibliothecam reparavit, ac lectiſſimis libris ditavit, & Wintoniae Xenodochium ſundavit, ibique in Cathedrali Eccleſia ſepultus eſt in tumulo, quem ipſe ſibi vivens poſuerat, cum hac Inſcriptione:

Tribularer, ſi neſcirem miſericordias tuas.

B. NICOLAUS ALBERGATUS BONONIENSIS

ORDINIS CARTHUSIANI

EPISCOPUS BONONIEN.

A MARTINO V. ANNO MCCCCXXVI. CR. PR. CARD.
TIT. S. CRUCIS IN HIERUSALEM.

OBIIT SENIS 9. MAJI 1443.

VIr, cui parem aetas illa non tulit, & qualem rara ſecula ferent. Emenſis in patrio gymnaſio J.C. ſtudiis, ſpiritu Dei ductus Ordinem Carthuſianorum eſt ingreſſus. Sed cum Sanctitas latere minime poſſit, Clerus, Populuſque Bononienſis invitum, & reluctantem ſuum pronunciavit Antiſtitem. Evecto per ea tempora ad Petri Sedem Martino V., Nicolaus a Bononienſibus Orator ad Pontificem congratulationis ergo deſtinatur. Pontifex cognita illius virtute, & prudentia, Nuntium Apoſtolicum miſit ad ſedandas diſſenſiones inter Carolum VI. Francorum Regem, ejuſque Filium Delphinum ex una parte; & Henricum V. Angliae Regem, ac Joannem, & Philippum Burgundiae Duces ex altera; quas cum ſingulari prudentia prope extinxiſſet, reverſus eſt ad ſuam Eccleſiam magna Sanctitatis fama apud omnes comparata. Purpurae Honorem ſuſcipere coactus, vitam ſic inſtituit, ut & Dignitati conſuleret, & Religioni. Duabus Legationibus functus, primum ad Philippum Ducem Inſubriae, deinde ad Venetos, conſilio, & patientia Italiam pacavit. Ab Eugenio IV. Legatus II.°, & III.° in Galliam tanquam Angelus pacis mittitur: quae eo agente tandem inter Gallum, Anglum, & Burgundum ſumma omnium gratulatione in Conventu Atrebatenſi firmata eſt. Ad Concilium Baſileenſe juſſu Eugenii acceſſit, cumque ibi multos contra Romanae Eccleſiae auctoritatem plura molientes comperiſſet, acephalum gregem contemſit, atque diſceſſit. Ad Albertum Romanorum Regem, & ad Germaniae Principes Legatus, rebus Eugenii ibidem labentibus maxime profuit. Concilio Ferrarienſi praefuit, & poſtmodum Florentino ſubſcripſit. Senis ad meliorem vitam migravit, omnibus ſplendorem, ac decus Eccleſiae amiſſum collacrimantibus. Doctis impenſe favit, praeditus ipſe ſingulari cum Divinarum, tum humanarum rerum ſcientia. Nomen Beati, ſacroſque Honores eidem a majoribus delatos BENEDICTUS XIV. editis Apoſtolicis literis anno 1747. confirmavit, atque amplificavit.

JULIANUS CAESARINUS ROMANUS

A MARTINO V. ANNO MCCCCXXVI. CR. DIAC. CARD.
TIT. S. ANGELI IN FORO PISCIUM,
HINC PR. CARD. TIT. SANCTAE SABINAE,
DENIQUE EPISCOPUS TUSCULANUS.

OBIIT IN HUNGARIA ANNO 1444.

INgenio, ac facundia mirabili a natura praeditus, cum ſacrarum literarum ſtudio ſociavit Juriſprudentiam. Hanc publice profeſſus ad paranda ampliora munera opportune ſibi viam aperuit. Nam ea tempeſtate propter graviſſimas de Pontificia Dignitate diſceptationes, cum dira diviſione tres uno tempore Pontifices Maximi Chriſtianae praeeſſent Reipublicae, in utroque Jure periti ſummopere colebantur, & a primaeva aetate per ejuſmodi gradus ſaepius ad Purpuram aſcendebant. Hic a Martino auctus Julianus, paulo poſt mittitur Legatus in Germaniam, & in Bohemiam adverſus Huſſitas, in quos ſacram expeditionem decrevit. Hinc inchoatae Baſileae Synodo Legatus ab eodem Martino praeficitur. Eam tandem damnatam reliquit, & rediit ad Eugenium, a quo Legatus decernitur ad Joannem VII. Palaeologum Graecorum Imperatorem, apud quem tanta auctoritate, & gratia valuit, ut illum Ferrariam, quo Concilium translatum fuerat, cum lectiſſimis gentis ejus Epiſcopis, atque Proceribus, ipſoque Patriarcha C. P. ſecum adduxerit. Deinde habitum eſt Florentinum, in quo propoſitis graviſſimis de Fide quaeſtionibus, Juliani Legati eximia doctrina, & ſtudio effectum eſt, ut Graeci Fidem ſuam de Proceſſione Spiritus Sancti ad Catholicum Dogma conformarent. Ad Uladiſlaum Poloniae, & Hungariae Regem Legatus, hunc, & reliquos Principes Chriſtianos contra Amurathem infenſiſsimum Chriſtiani nominis hoſtem armavit, improbata, ac diſſoluta pace ab eo Rege cum Turcis inita. Commiſſo praelio apud Varnam Julianus praelata Cruce, Regia ſigna ſequens, cum Uladislao caeſus eſt, Chriſti Martyr a nonnullis appellatus. Triſte tamen documentum reliquit, fidem datam vel Turcis ipſis, eſſe religioſe ſervandam. Vir, ut Jovii verbis utar, apud quem in omni ſenatorio munere vigebant dignitas ſine faſtu, doctrina ſine oſtentatione, ſine fuco probitas, & ſtudium ſine factione, certe tam triſti vitae exitu indignus, niſi eo fati genere aditum ſibi ad Caelum perenni cum gloria muniviſſet.

ISIDORUS THESSALONICENSIS

METROPOLITA KIOVEN. TOTIUSQUE RUSSIAE

AB EUGENIO IV. ANNO MCCCCXXXIX. CR. PR. CARD.

TIT. SS. PETRI, ET MARCELLINI,

DEINDE EPISCOPUS SABINENSIS.

OBIIT ROMAE 17. APRILIS 1473.

PRimum S. Baſilii Monachus, deinde Ruthenorum Archiepiſcopus, & in Concilio Florentino Doſithaei Patriarchae Antiocheni Vicarius pro firmanda Graecorum cum Latinis unione egregie laboravit. Abſoluta Synodo probantibus PP. Sacro Cardinalium Collegio adſcribitur. Regreſſus in Ruſſiam Regni Poloni Provinciam, Chelmae Decreta Concilii Florentini promulgavit, & ſacram Liturgiam in Latino Templo ſolemniter celebravit. Mox profectus ad Moſchos, ut ibi ſanctam unionem conſtitueret, a Baſilio Baſilide magno Duce in Ergaſtulo incluſus, ad ignem damnatus eſt. Evaſit tamen, Deo ſavente, & Romam reverſus, Sedis Apoſtolicae Legatus a Nicolao V. C. P. mittitur, ut Graecos in ſuſcepta Fide Catholica confirmaret; ſed fruſtra laboravit, Graecis iterum in primum ſchiſma relabentibus. Capta a Turcis C. P., Iſidorus Urbis excidio vix ſuperſtes, multis jactatus tempeſtatibus, ac ſaepe in ultimum vitae diſcrimen adductus, tandem Romam ſoſpes iterum revertitur. A Pio II. Titulo Patriarchae C. P. ornatus, ſolicitudinem Orientalium Eccleſiarum nunquam dimiſit. Verè Ruthenorum, & Graecorum Apoſtolus nuncupatus, qui non Martyrio, ſed Martyrium ei deſuiſſe videatur. Ejus Cineres in Cryptis Vaticanis aſſervantur.



BESSARION PATRIA TRAPEZUNTINUS
MONACHUS SANCTI BASILII
ARCHIEPISCOPUS NICAENUS
AB EUGENIO IV. ANNO MCCCCXXXIX. CR. PR. CARD.
TIT. SS. XII. APOSTOLORUM,
DEINDE EPISCOPUS TUSCULANUS.
OBIIT RAVENNAE 14. DECEMBRIS 1475.

GRaecorum decus, quo nemo gentis ſuae Chriſtiana pietate praeſtantior, nemo illuſtrior doctrina, nemo generoſis moribus ornatior, in Concilio Florentino auctor unionis Eccleſiae Graecae cum Latina ab omnibus merito habitus eſt. Patriarcha C. P. creatus, & Germanica Legatione ornatus, Fridericum III. Caeſarem, ac Sigiſmundum fratrem graviter diſſidentes, pace, ac priſtina amicitia conjunxit. A Pio II. ad Principes Chriſtianos miſſus, eos foedere conciliavit, atque ad bellum contra Turcas excitavit. Bononiae Legationem incorrupta juſtitia adminiſtravit, & Academiam illam omnium ſcientiarum, & artium domicilium, in priſtinam dignitatem reſtituit. Romae deducebatur mane in Vaticanum, non exculto, nec micanti numero Aulicorum, ſed uno virtutis nomine, maximeque decoro Literatorum comitatu, quorum veluti Magiſter erat, & munificus Patronus. Sixto IV. ſedente, Legatione functus eſt apud Reges Galliae, & Angliae, & Ducem Burgundiae pro defenſione rei Chriſtianae contra Turcas. Saepius ſummo Pontificatu dignus exiſtimatus, non autem propter nationem admiſſus, conſtanti animo repulſam tulit: quippe qui mundi gloriam ſecura mente deſpiciebat, dictitans ſeſe diuturna experientia comperiſſe, ſub ipſo etiam Galero majorem taedii, dolorisque, quam voluptatis, & gaudii eſſe materiam. Ampliſſimam Bibliothecam ſelectis libris, maxime Graecis inſtructam, Senatui Veneto legavit. Qui ne tanti muneris memoria periret, Bibliothecae inſcribi mandavit nomen Beſſarionis, veluti inſigne omnium ſcientiarum. Corpus Romam delatum, conditum eſt in Templo SS. Apoſtolorum, ubi marmoreum tumulum vivens ſibi cum Graeca Inſcriptione extruxerat: quam ſic vertit Majoranus Salentinus:

Beſſarion feci hunc tumulum, qui conderet oſſa,
Venerat unde olim Spiritus, aſtra petet.

SBIGNEUS OLESNICIUS POLONUS

EPISCOPUS CRACOVIENSIS

AB EUGENIO IV. AN. MCCCCXXXIX. CR. PR. CARD.
TIT. SANCTAE PRISCAE.

OBIIT SANDOMIRIAE 1. APRILIS 1455.

INter Polonos Reipublicae ſtudioſiſſimus, Jurium autem Eccleſiaſticorum vindex, & defenſor acerrimus, Uladislaum II. Regem Eccleſiaſtica bona Nobilibus dilargientem ab incoepto deterruit. Haereticis Bohemorum Legatis ab eodem Rege comiter habitis, & in diſceſſu Cracoviam divertentibus, tota Civitas Sbignei Epiſcopi juſſu a Sacris ceſſavit. Indignantis Uladislai neque vultum, neque minas reformidavit, & egregium S. Stanislai Martyris ſucceſſorem, ac imitatorem ſe demonſtravit. Ab Eugenio ad Cardinalatum aſſumtus, non conſenſit, veritus, ut literis ſuis teſtatus eſt, ne in diſſidio inter Eugenium, & Amedeum excitato univerſalis Eccleſiae auctoritatem laederet. Amedeus quoque eum renuentem Cardinalem pronunciavit. Quam dignitatem ab Eugenio collatam Nicolaus V. confirmavit, & ut Caſimiro Regl gratificaretur, rubrum Pileum ad eum miſit, & Legatum Apoſtolicum in pacandis Hungariae diſcordiis inſtituit. Eum maxime Religio, conſtantia, liberalitas, robur denique Apoſtolici pectoris illuſtrârunt.

GUILIELMUS DE ESTOUTEVILLA PARISIENSIS

CONGREGATIONIS CLUNIACEN.

ARCHIEPISCOPUS ROTHOMAGEN.

AB EUGENIO IV. ANNO MCCCCXXXIX. CR. PR. CARD.
TIT. SS. SILVESTRI, ET MARTINI IN MONTIBUS,

DEINDE EPISCOPUS OSTIEN.

OBIIT ROMAE MENSE FEBRUARIO 1483.

Pontificii Juris doctrina inſignis, commendatione Caroli VII. Galliae Regis, conſanguinei ſui inter Cardinales adſcriptus, Legatus ad eumdem Regem decernitur, ut foedus inter ipſum, & Angliae Regem feriret: ſed inani conatu, cum uterque pace jus ſuum laeſum iri putaret. Academiam Pariſienſem Apoſtolica, & Regia auctoritate fretus, reformandam ſuſcepit, & ad priſtinum decus revocavit. Apud omnes Orbis Chriſtiani Principes ob vitae integritatem, & familiae ſplendorem plurimum valuit, & maxima in aeſtimatione fuit. Romam acceſſurus, cum a Rege Carolo rogaretur, ut cum ceteris, quos ad Calliſtum III. nuper electum mittebat, Legatus proficiſceretur, id facere recuſavit, malens vir praeſtantiſſimus Dignitatem Cardinalitiam tueri, quam Regis gratiae inſervire, affirmanſque minime decere, Cardinalem, niſi pro Summo Pontifice Legationis munus ſuſcipere. Rex id aegre non tulit, ſed mittens, quos elegerat, Oratores, inter mandata primum hoc dedit, ut quidquid acturi, aut dicturi eſſent, ad Cardinalem ſuo juſſu referrent, ejuſque conſilio, & auctoritate omnia peragerent. Liberianam Baſilicam, cujus erat Archipresbyter, reſtituit, & exornavit, & templum in Urbe S. Auguſtini nuncupatum, a fundamentis erexit. Cardinalis Papienſis Guilielmum multis laudavit, & eum Philelphus Columnam, ac Columen Romanae Eccleſiae nominavit. Obiit pluſquam octogenarius, & in eodem D. Auguſtini templo tumulatus eſt.

Digitized by Google

JOANNES DE TURRECREMATA

PALENTINAE DIOECESIS

ORDINIS FRATRUM PRAEDICATORUM

AB EUGENIO IV. AN. MCCCCXXXIX. CR. PR. CARD.
TIT. S. SIXTI,

DEINDE EPISCOPUS SABINEN.

OBIIT ROMAE 26. SEPTEMBRIS 1468.

PRimus inter temporis ſui Theologos, & Pontificii Juris ſcientia conſpicuus, in Concilio Florentino egregie Latinorum partes tutatus eſt. Eugenii Legatus interfuit Conventui Bituricenſi, juſſu Caroli VII. habito ad tollendum ſchiſma, & praecipuus auctor fuit, ut Rex in obedientia Eugenii perſeveraret. Infracti animi fuit, nec unquam precibus, promiſſis, aut minis ab honeſto, rectoque dimoveri potuit; merito Fidei Defenſor appellatus. Ordinis ſui Ritus ita dilexit, ut quos initio profeſſionis ſuae ſemel imbiberat, nunquam toto vitae curſu dimitteret: adnitens pro viribus, ut iidem a ceteris quoque adamuſſim ſervarentur. Aegre admodum ferebat, Religioſos homines in aulis Principum converſari: aſſerens non eorum hoc eſſe munus, ſed Curialium, vel Litigantium. Societatem Sanctiſſimae Annuntiationis B. M. V. Romae erexit, qua inopibus puellis conſuleret. Solutus negociis perpetuus erat in librorum lectione, dicere ſolitus: omne tempus perire, quod in literis non poneretur, ac nihil expetendum praeter ſapientiam, ac ſcientiam: eſſe hanc unam, quae brevitatem vitae, ſpe immortalitatis, & poſteritatis memoria conſolaretur. Viri hujus praeſtantiſſimi imaginem habemus in libris, quos & plures, & egregie ſcriptos reliquit.

Digitized by Google

LUDOVICUS SCARAMPUS DICTUS MEDIAROTA PATAVINUS

PATRIARCHA AQUILEJEN.

AB EUGENIO IV. AN. MCCCCXL. CR. PR. CARD. TIT. SANCTI LAURENTII IN DAMASO,

DEINDE EPISCOPUS ALBANEN.

OBIIT ROMAE 22. MARTII 1465.

LIberalibus artibus, ac ſcientiis pro magno ingenio abunde inſtructus ad militarem diſciplinam animum intendit, opportune quidem; nam Romam petiit eo tempore, quo arma togae longe praeſtabant. Rem Romanam hoſtium multitudine pene attritam, Dux ab Eugenio IV. conſtitutus in ſplendorem priſtinum, armis, & victoriis vindicavit. Calliſti III. in Hungaria Legatus armis togae ſuperimpoſitis Turcas apud Taurunum ſuperavit. Hinc C.P. navigans, eoſdem navalibus praeliis vicit, ac ſudit, & nonnullis inſulis in Egaeo mari receptis, Romam auro, & ſpoliis onuſtus reverſus eſt. Urbem ingrediens, rerum geſtarum gloria clariſſimus a Pio II., & toto Cardinalium Collegio ſummo honore exceptus, mirifice collaudatus eſt. Famam hanc non modice obſuſcârunt ingentes ex Sacerdotiis collectae opes, quarum partem poſt ejus mortem, demtam heredibus, Paulus II. Eccleſiae vindicavit, partem vero aliam frater, ac nepos prodigalitate brevi abſumſerunt. Longe tamen ab ejus moribus abſuit avaritia: nam nulli pepercit ſumtui, ut Dignitatis ſuae ſplendorem pene Regibus aequaret. Quo neque vitare potuit omnes obtrectatores. Maxime enim dedecet luxus Eccleſiae Senatorem.



JOANNES CARAVAJALIS

EPISCOPUS PLACENTINUS IN HISPANIA

AB EUGENIO IV. ANNO MCCCCXLVI. CR. CARD. DIAC.

TIT. S. ANGELI,

DEINDE EPISCOPUS PORTUEN.

OBIIT ROMAE 6. DECEMBRIS 1469.

OB praeſtantem doctrinam in collegium Rotae Judicum cooptatus, fluctuante ſub Eugenio IV. Eccleſia ad Germanos, qui intemperantia Conciliorum vehementius laborabant, graves ſaepe geſſit Legationes, ac magna quaeque perfecit, & abſens ab Eugenio ad Cardinalatum aſſumptus eſt. A Nicolao V. iterum in Germaniam miſſus ſategit, ut controverſiae circa Beneficia Eccleſiaſtica componerentur. In Legationibus, quae ei ſupra viginti commiſſae ſunt, Romanorum Pontificum non mandata ſolum, ſed & vota implevit. Saepe bella difficillima, conclamata jam pace, induſtria ſua compoſuit. Pro eradicanda Huſſitarum haereſi omnibus vitae periculis contemtis in Bohemia maxime laboravit. Pontificii Legati Dignitatem tanta cum auctoritate, & gravitate ubique locorum ſuſtinuit, ut & Fidei hoſtibus admirationi eſſet, & venerationi. Cum multis peragratis regionibus populos magnis beneficiis affeciſſet, ſpretis muneribus, nihil praeter caſti, incorruptique Sacerdotis gloriam privatas in aedes intulit. A Pio II. Anconam evocatus, ut deductis confèſtim navigiis Cruceſignatum militem in Peloponeſum traduceret, ſenex, & laboribus attritus pro Eccleſia onus grande non detrectavit, teſtatus, partem vitae ſuae ultimam Chriſto non eſſe negandam. Sententiae ejus plenae Religionis erant, & majeſtatis. Vir ſingulari conſtantia, & infracto animo, qui Paulo II. urgenti, ut leges in Conclavi jurejurando firmatas abrogaret, ſolus cedentibus aliis Cardinalibus, reſtitit, obteſtans, quod juvenem ſe non feciſſe meminerat, ut bonam ſententiam unquam mutaret, id jam ſenem ſe non commiſſurum. Unde Cardinalis Papienſis Joannem firmum praeſidium labentis Ordinis Cardinalitii appellavit.

LATINUS URSINUS ROMANUS

ARCHIEPISCOPUS TRANEN.

A NICOLAO V. AN. MCCCCXLVIII. CR. PR. CARD.

TIT. SS. JOANNIS, ET PAULI,

DEINDE EPISCOPUS TUSCULANUS.

OBIIT ROMAE 21. AUGUSTI 1472.

LAtinum Urſinum non ob nobilitatem ſolum, ſed ob inſignes quoque animi dotes, & virtutes a Nicolao V. Cardinalium Collegio adſcriptum Paulus II. plurimi aeſtimavit, & perpetuum Marchiae Anconitanae Legatum conſtituit. A Sixto IV. ſummis Eccleſiaſticae ditionis negociis præfectus eſt, pari magnae expectationi exitu. Barium Apuliae Urbem Legatus juſſu Pontificis, & Collegii Cardinalium rexit, & Ferdinandum Aragonium, ut moris erat, rite conſecratum, coronatumque Regem declaravit. Eccleſiam, & Monaſterium in Urbe S. Salvatoris in Lauro conſtruxit, & Canonicis Regularibus S. Gregorii in Alga cum dote ampliſſima donavit. Farfenſe, Claraevallis in Piceno, & S. Salvatoris in agro Reatino Monaſteria ad priſtinae obſervantiae normam revocavit. Vir in tota vita verax, & integer animi, necnon in dicenda ſententia conſtans æque, ac ſincerus; ingenio manſueto, & comi, moribus ſuaviſſimis, charitate in Deum, & homines flagrantiſſima. Aegrotantem Sixtus IV. univerſo Cardinalium coetu comitante inviſit, & ſi obiviſſet, omnia bona Eccleſiaſtica, quae poſſidebat, ejus Nepotibus, & perneceſſariis obtulit; quod ipſe magno animo recuſavit, neque ex dignitate Apoſtolicae Sedis eſſe dixit, ſi ſanguinis conjunctioni, non meritis, aut virtutibus ejus bona concederentur.

N I C O L A U S   D E   C U S A

IN VICO CUSAE DIOECESIS TREVIREN. NATUS

A NICOLAO V. AN. MCCCCXLVIII. CR. PR. CARD.
TIT. SANCTI PETRI AD VINCULA.

OBIIT TUDERTI 12. AUGUSTI 1464.

GEneris, & patriae obſcuritatem magnis virtutibus, paribuſque in Eccleſiam meritis illuſtravit. Adhuc juvenis, & Archidiaconus Leodienſis adverſus Baſileenſes Patres Pontificiam auctoritatem egregie propugnavit. Creatus Card. & Legatus in Gallia coram Rege, Epiſcopis, ac Regni Proccribus Eugenii IV. cauſam contra Felicem A.P. accrrime defendit. Tribus Summis Pontificibus in praeclaro ſemper honore Legationum Germaniae, Galliac, & Angliae operam praeſtitit vigilantia, fide, & prudcntia ſummopere illuſtrem cum corrigendis Eccleſiaſticorum moribus, tum bellis, diſſenſionibuſque ubique reſtinguendis. Pii II. ad Mantuanum Concilium proficiſcentis nomine Urbis rcgimen ſuſccpit, ſanctèque adminiſtravit. In omnlum diſciplinarum genere verſatus, praeclara edidit ingenii monumenta tribus tomis comprchenſa. Xenodochium Cuſae fundavit, & Templum S. Petri ad Vincula, in quo jacet, multis muneribus auxit, & ornavit. Eccleſiae, ac Religioſorum coetuum reformationem pro virili parte procuravit, urgcns ipſe exemplis modeſtiae, zcli animarum, & ſingularis in Deum pietatis. A Cardinale Papienſi numeratur inter Patres Cardinalitii Ordinis, qui in Domino dormierunt, & per quorum ſanctas actiones commendatum fuiſſe memorat Sacrum Miniſterium.

AMEDEUS VIII. DUX I. SABAUDIAE

A NICOLAO V. AN. MCCCCXLIX. CR. EPISCOPUS

CARDINALIS SABINEN.

ET SANCTAE ECCLESIAE DECANUS.

OBIIT GENEVAE 13. JANUARII 1450.

VIr fuit excelſo animo, qui familiam ſuam pluribus titulis praeclariſſimam, primus Ducali nomine, noviſque honoribus amplificavit. Defuncta conjuge Maria Burgundica, filiis natu jam grandibus, in abdita & nemoroſa loca apud Ripalliam ſeceſſit, & inſtituto Ordine S. Mauritii, adſcitiſque in eum aliquot probis viris, quos Equites Anachoretas dixit, ſolitariam vitam profeſſus eſt. Hujus rei fama permoti Patres Conventus Baſileenſis, abrogato per ſchiſma Eugenio IV., Amedeum Pſeudo-Pontificem elegerunt, qui Felix V. appellatus eſt, & magna celebritate Baſileae coronatus. Ut pacem Eccleſiae daret, Dignitatem, quam deceptus ſuſceperat, ſponte abjiciens Nicolaum V. verum Pontificem in Synodo Lauſanenſi agnovit, qui illius in ſe, Eccleſiamque merita remunerans, Cardinalem, & Epiſcopum Sabinenſem declaravit, ac in Sabaudia, finitimiſque regionibus Sedis Apoſtolicae Legatum, Vicariumque perpetuum conſtituit. Sibi redditus Ripalliam in amicam ſolitudinem reverſus eſt, ubi divinis meditationibus intentus ad finem uſque vitae perſeveravit. Princeps magnus, & felix, & niſi hoc uno errore accepti, & geſti Antipontificatus excidiſſet, perpetua dignus, & memorabili laude.

JACOBUS A LUSITANIA

ARCHIEPISCOPUS ULYSSIPONENSIS

A CALLISTO III. AN. MCCCCLVI. CR. DIAC. CARD.

TIT. SANCTI EUSTACHII.

OBIIT FLORENTIAE 17. AUGUSTI 1459.

PEtri Ducis Conimbricenſis filius, Joannis I. Luſitaniae Regis nepos, poſt parentis infauſtam mortem ab aula Luſitanica profugus in Belgium ad Philippum Bonum Burgundiae Ducem ſe contulit, ubi egregiam pietati, & ſtudiis operam navavit. Firmata jam aetate Romam venit, & a Calliſto primum Archiepiſcopus Ulyſſiponenſis, deinde S. R. E. Cardinalis creatus eſt. Vir, inquit Aeneas Sylvius, *in quo ea modeſtia, & gravitas, id acumen ingenii, id ſtudium literarum, is amor virtutis emicuit, ut quamvis juvenis adhuc, tardius tamen opinione omnium ad Cardinalatus Dignitatem aſcenderit*. Pius II. perſpecto Jacobi animo vere regiis virtutibus ornato, Legatum in Germaniam miſit. Cum Florentiam perveniſſet, & ex Senatus decreto uti Princeps ex Regio ſanguine, Cardinalis, & Sedis Apoſtolicae Legatus maximo Civium honore exceptus eſſet, altera ab ingreſſu die gravi morbo correptus, mori maluit, quam ex nefario medicorum conſilio foedari, praeclarum relinquens pudicitiae, & caſtitatis exemplum. Obiit anno aetatis vigeſimo ſexto, & ad S. Miniatum tumulatus eſt, meritis laudibus ab ejus temporis, ſequentiumque authoribus celebratus.



ANGELUS CAPRANICA ROMANUS

EPISCOPUS REATINUS

A PIO II. ANNO MCCCCLX. CR. PR. CARD.
TIT. S. CRUCIS IN HIERUSALEM,
DEINDE EPISCOPUS PRAENESTINUS.

OBIIT ROMAE 9. JUNII 1478.

MOrum innocentia conſpicuus fuit, nec inferior fratre ſuo Dominico quondam magni nominis Cardinali. Floruit enim doctrina, ſed maxime Theologica, non ſolum Pii II., ſed totius Urbis praeconiis commendatus. Solers in creditae ſibi Reatinae Eccleſiae cura, conciones multis annis Apoſtolico ſpiritu plenas ad populum habuit; & quae deceſſorum incuria éx vigore Eccleſiaſticae diſciplinæ exciderant, in ſpiritu lenitatis reſtituit, ac reformavit. Legationes Bononiae, Ravennae, & Aemiliae maxima cum Civium gratia exercuit. In paterna domo, quam Dominicus Cardinalis moriens gymnaſium eſſe voluerat, habitavit. Ne vero inde pia erudiendae juventutis voluntas fratris fruſtraretur, contiguum illi Collegium aedificavit, quod a Fundatore Capranicenſe nuncupatur. Praeclarum teſtimonium de hoc Cardinali tulit Pius II. hiſce verbis: *Angelus Reatinus Epiſcopus vere Angelus & vita, & morum honeſtate*. Jacent ſimul duo fratres Cardinales in tumulo marmoreo apud S. Mariam ſupra Minervam.

BERARDUS HERULUS NARNIEN.

EPISCOPUS SPOLETANUS

A PIO II. AN. MCCCCLX. CR. PR. CARD.

TIT. SANCTAE SABINAE,

DEINDE EPISCOPUS SABINEN.

OBIIT ROMAE 3. APRILIS 1479.

MOribus, ac doctrina inſignis, Pontificii, Civiliſque Juris ſummus Interpres, ſingulari integritate cunctis Romanae Curiae Honoribus functus, in ſupremum Senatum tandem cooptatur. Nicolao V. & Calliſto III., ac Patribus aeque carus, primum ſemper inter aequales locum obtinuit. Pius II. eum ob prudentiam, & fidem impenſe dilexit, ſolitus dicere *Verbum Berardi Heruli, verbum veritatis*. Peruſinam Legationem ſumma juſtitia geſſit, & Ordinis ſui Dignitatem ſuſtinuit. Cum enim Fridericum Ferdinandi Neapolitani Regis ſecundo-genitum Romae a Sixto IV. regali hoſpitio ſuſceptum alii Patres inviſerent, ipſe id facere recuſavit, obteſtatus, Eccleſiae Dignitatem publicam privato Principi Apoſtolicae Sedis Feudatario, eſſe anteponendam. Beneficiorum, & ut dicunt, Commendarum lucra, & onera ſemper ſugit, tam alienus a cupiditate pecuniae, quam liberalis in deprecandis amicorum periculis, aut incommodis. Nobile Coenobium in Patria ſua Narnia, & in Monte Roſulo templum cum valetudinario pro pauperibus a fundamentis erexit. Sincera cum S. Antonino amicitia junctus fuit Herulus, quod in eis ſimilitudinem morum, ſtudiorumque non defuiſſe teſtatur.



NICOLAUS FORTIGUERRA PISTORIEN.

EPISCOPUS THEANEN.

A PIO II. AN. MCCCCLX. CR. PR. CARD. TIT. S. CAECILIAE.

OBIIT VITERBII 21. DECEMBRIS 1473.

ELuxit tota vita aperta veritate, aſſiduo labore, & ſalutaribus conſiliis. Juvenis adhuc ſedentibus Eugenio & Nicolao multis in locis Eccleſiae valde profuit. A Pio Neapolim miſſus ad Coronam Ferdinando reddendam, quod de recipiendis Urbibus Benevento, & Anxure Pontifex decreverat, ſapienter perfecit. Hoſtibus ad Lirim, ne in Romanum agrum tranſierent, cohibitis, victis Sabinis, Everſaniſque, Sigiſmundo Malateſta Arimini tyranno ad ejurandam haereſim, veniamque petendam compulſo, claſſe ex portu Piſano ſacrae expeditionis cauſa per fretum Siciliae Anconam perducta, optime de Sede Apoſtolica meruit. Sive publica ſpectes, ſive privata nemini ſecundus fuit. Rara de ſummis rebus conſilia, ad quae non vocaretur, rari delectus Patrum, inter quos non emineret. Erat in Senatu ad conſulendum rectus, ad ſententiam dicendam liber, ad providenda omnia perſpicax: conſcientiae, non gratiae ſerviens publica privatis ſemper praepoſuit. Cenſu erat vix pari ſuſtinendae Dignitati. Malebat enim animi bonis, quam fortunae opibus abundare. Moderationis, & continentiae exemplar ita domum ſuam compoſuerat, ut omnem virtuti viam, nullam ambitioni, aut licentiae aperiret. Piſtorii Gymnaſium inſtituit, quod nuncupant Sapientiam Fortiguerrarum. Ibi quotannis Panegyrico celebratur, ac pater patriæ merito nomine appellatur.

A L E X A N D E R   D E   O L I V A

IN OPPIDO SENTINO NATUS

ORDINIS FRATRUM EREMITARUM S. AUGUSTINI

A PIO II. ANNO MCCCCLX. CR. PR. CARDINALIS
TIT. SANCTAE SUSANNAE.

OBIIT TYBURE 21. AUGUSTI 1463.

VAriis primum in Ordine ſuo muneribus praeſectus, tum ad diſſeminandum Dei Verbum converſus, Italia ſere tota peragrata ſuis concionibus Principum animos, & praecipue populorum Hetruriae ad pacem, & unionem flexit, capitaleſque inimicitias, ac privata, & publica odia extinxit. Paupertatis, & humilitatis eximium cultorem, dignitateſque ſolerter fugientem inopinate Pius II. ſacra Purpura exornavit. Auctus honore, a religioſo Ordinis ſui inſtituto non deflexit; imo vitae prioris Sanctitatem dignitatis ſplendore mirum in modum adauxit. Eo mortuo fleverunt amici, luxit Curia, Italia omnis in moeſtitia fuit. Illum pauperes, quos aluerat, Collegae, quibus exemplo fuerat, boni omnes, quos omni ope ſoverat, lamentati ſunt. Vox erat omnium extincto illo, lumen Curiae, decus Collegii, columen Religionis, ornamentum literarum, ſpecimen vitae eſſe extinctum; nec unquam in ullo fuiſſe, vel magnam virtutem, quae in Alexandro non eſſet eminentiſſima. Joannes Antonius Campanus Epiſcopus Aprutinus in ejus exequiis ſunebrem orationem toto adſidente Senatu habuit. In Nomenclatore Cardinalium Alexander Beati Titulo decoratur.

FRANCISCUS TODESCHINUS
SARTEANI IN HETRURIA NATUS

DICTUS PICOLOMINEUS
ARCHIEPISCOPUS SENEN.

A PIO II. ANNO MCCCCLX. CR. DIAC. CARD.
TIT. SANCTI EUSTACHII,
POSTEA PIUS PP. III.

OBIIT ROMAE 13. OCTOBRIS 1503.

A Pio II. Avunculo XXIII. annos natus, ſacro probante Collegio ad Purpuram vocatur. Graviſſimo Urbis, & Italiae totius tempore, quo Pius Anconam ſe contulit, Romanam Legationem, & Picenam ſumma cum laude adminiſtravit. A Paulo II. ad Fridericum III. Imperatorem miſſus, ut Germanorum arma in Turcas moveret, Conventum apud Ratisponam frequentiſſimum habuit, ejuſdem mox Pontificis morte diſſolutum. Sub Innocentio VIII. Umbros diſſidentes compoſuit. Carolo VIII. Gallorum Regi in Italiam irrumpenti Alexandri VI. Legatus occurrit. Eo defuncto vir integra fama, prudentia, religione, doctrina domi, foriſque clariſſimus, ac in dicendis in Senatu ſententiis liber, & graviſſimus, ad Pontificium Culmen evectus eſt, Pius III. vocatus. Breve ejus Regiminis tempus fuit: obiit enim menſe non completo. Sed breve fuiſſet eriam ſi quantum hominum vita ſupperit, tanrum Vir talis Romae imperaviſſet. Cenſuerunt enim boni omnes cum ſcriptoribus vitae Marcelli II., *Divinum Numen Chriſtiani Orbis ſceleribus irritatum, talem, ac tantum invidiſſe Pontificem.*

Digitized by Google

BARTHOLOMAEUS ROVERELLA FERRARIEN.

ARCHIEPISCOPUS RAVENNAT.

A PIO II. AN. MCCCCLXI. CR. PR. CARDINALIS
TIT. S. CLEMENTIS.

OBIIT ROMAE 2. MAJI 1476.

DOctrina, conſilio, & morum integritate conſpicuus Eugenii IV. a Secretis ſuit, & in Regno Siciliae Sedis Apoſtolicae Legatus ad Crucem contra Turcas praedicandam, & Decimas colligendas: deinde cum omnia fere Romanae Curiae munera integre geſſiſſet, ex Archiepiſcopo Ravennatenſi Cardinalis a Pio Secundo renuntiatur. Plurimis inde pace, & bello Legationibus magna cum laude ſunctus eſt. Neapoli Regem Ferdinandum Aragonium Pii nomine coronavit. Hinc Provincias Marchiae Anconitanae, & Umbriae pari ſapientia adminiſtravit. Tranquillam demum & conſiliis utilem ſenectutem agens, exceſſit e vita, omni ſupellectili in familiam ex teſtamento diſtribui juſſa. Exhibet ejus numiſma inſcriptionem hanc: *Ob Clementiam ipſius, morumque Sanctimoniam, & in Sedem Apoſtolicam ingentia merita*. Jacet in Templo S. Clementis pernobili ſepulchro juxta fratrem ſuum Florium Equitem Hieroſolymitanum.

LUDOVICUS ALIBRETIUS SENIOR

A PIO II. ANNO MCCCCLXI. CR. PR. CARD.

TIT. SS. PETRI, ET MARCELLINI.

OBIIT ROMAE 4. SEPTEMBRIS 1465.

REgum progenie natus, Caroli II. Comitis Alibretti, & Annae de Armaniaco filius, ad Clerum Spiritu Sancto duce acceſſit, & ſacris initiatus, Protonotarius primo Apoſtolicus, deinde ad preces Ludovici XI. Regis, & in praemium abrogatae Sanctionis Pragmaticae, Purpurae Honore decoratus eſt. Cardinalis creatus, ſeculi pompis, & oblectamentis, quibus, ut Regiae ſtirpis juvenis delectatus fuerat, nuncium remiſit, indigna haec maxime reputans promoto ad Eccleſiae gubernacula. Multis in Gallia Eccleſiis praefuit, quarum ampliſſimos proventus in reparationem Sacrarum Aedium, pios uſus, & pauperum ſubſidium abſumſit. Munera omnia, prudenter, ſollicite, humaniter geſſit, perpetuo habens prae oculis Pietatem, ac Religionem. Amor, & deliciae Sacri Collegii immatura morte praereptus eſt luctu Pontificis, & omnium Ordinum. Eum unice dilexit Cardinalis Papienſis ob morum candorem, & innocentiam ſingularem. In habitu Minorum conditus eſt humili loco in Templo Aracaelitano.



JACOBUS AMANATUS LUCENSIS

EPISCOPUS PAPIENSIS

DICTUS PICOLOMINEUS

A PIO II. ANNO MCCCCLXI. CR. PR. CARD.
TIT. SANCTI CHRYSOGONI.

OBIIT APUD S. LAURENTIUM VOLSINIEN. 10. SEPT. 1479.

BRevi annorum ſpatio ſumma omnia in illo cumulavit Divina liberalitas, paupertatem commutans cum abundantia, obſcuritatem nominis cum ſplendore, humilitatem denique cum ampliſſima dignitate. A Calliſto III. Apoſtolicorum Diplomatum Scriptorem electum, Pius II. ipſo aſſumptionis die nec opinantem, nec poſtulantem eo in officio confirmavit. Elapſo biennio Eccleſiae Papienſi praefecit, & paulo poſt ad Purpurae decus, ſua ſola, non Principum aut Majorum commendatione adjutum evexit. Optimarum literarum ſtudiis, ingenio, ſtyloque, & nitidis moribus Pio valde ſimilis fuit, a quo familiae Picolomineae nomine, & inſignibus donatus eſt. Sedente Sixto IV. Legationem geſſit in Umbria, & finitimis Provinciis, ſumma cum integritate, ſancteque Lucenſem Eccleſiam adminiſtravit. Ad colendam Sedem Apoſtolicam, ad promovendam Gregis Dominici ſalutem, & ad tuendam R. Pontificis Majeſtatem totis viribus ſemper incubuit. Extant ejuſdem Commentarii quinque annorum geſta praecipua Pii II. continentes, & Epiſtolae plurimae, quibus ſenatoriae prudentiae, & Chriſtianae ſeveritatis gloriam perpolitae orationis laudi anteferre viſus eſt. Sed ſiquid minus latinum eſt in egregiis operibus, ſententiarum gravitate abunde compenſatur. Vivere deſiit apud Volſinios, quo ruſticatum conceſſerat. Corpus in Urbem relatum in templo S. Auguſtini ſepultum eſt.

OLIVERIUS CARAFA NEAPOLITANUS

PATRIAE SUAE ARCHIEPISCOPUS

A PAULO II. AN. MCCCCLXVII. CR. PR. CARD.

TIT. SS. PETRI, ET MARCELLINI,

DEINDE EPISCOPUS OSTIEN.

OBIIT ROMAE 20. JANUARII 1511.

NOn tam majorum ſplendore, quam virtute ſua, & omni genere doctrinae, praeſertim Juris utriuſque clarus, Neapolitanae Eccleſiae Archiepiſcopus a Pio II., & a Ferdinando Rege Sacri Regii Conſilii Praeſes renunciatur. Hujus precibus Cardinalatus honore auctus, claſſi maritimae, quam adverſus Turcas Sixtus IV., Ferdinandus, & Veneti inſtruxerant, Pontificius Legatus, ac dux praefectus, Smyrnam occupavit, in Sataliae Urbis Africae portum vi irrupit, ferreamque catenam inde extraxit, quam ſuper valvas Vaticanae Baſilicae ſuſpendit. Beatricem Ferdinandi Regis filiam Mathiae Corvini Hungariae Regis uxorem Legatus a Latere coronavit, & eam uſque in Hungariam comitatus, a Rege honorificentiſſime exceptus eſt. Bellum inter Pontificem, & Ferdinandum exortum Oliverius multis exantlatis laboribus compoſuit, & pacem Italiae reſtituit. Illuſtria praecipue Romae, & Neapoli cum in Templis, tum in publicis, & privatis aedificiis reliquit munificentiae ſuae monumenta. Vix ullus ea aetate auctor alicujus nominis fuit, qui non ſcripta, & libros ſuos Oliverio tamquam literarum patrono, ac parenti nuncuparet. Obiit annis, & gloria rerum praeclare geſtarum cumulatus. Jacet ad Minervam in ſacello S. Thomae Doctoris Angelici.

Digitized by Google

AUXIAS DE PODIO VALENTINUS

ARCHIEPISCOPUS MONTIS-REGALIS IN SICILIA

A SIXTO IV. AN. MCCCCLXXIII. CR. PR. CARD.
TIT. SANCTAE SABINAE.

OBIIT ROMAE 7. SEPTEMBRIS 1483.

SAnctitate, & doctrina, generis claritatem reddidit illuſtriorem. Joannis II. Aragoniae Regis a conſiliis, varias Legationes ejus nomine per Hiſpaniam adminiſtravit. Montis Regalis in Sicilia Archiepiſcopus, Monachorum diſciplinam inſtauravit. Urbi praefuit, & Vice-cancellarii munus geſſit, quibus gradibus ad ſacrae Purpurae decus aſcendit. Legatus Apoſtolicus Fridericum III. Imperatorem, Hungariae, Bohemiae, & Poloniae Reges, alioſque Principes ad ſuſcipiendum in Turcas bellum excitavit. Romam reverſus ſuum S. Sabinae Titulum Sacerdotiis, aedificiis, & redditibus exornavit. Clara ingenia domi aluit, literarum cultor, & doctorum virorum Mecoenas, quorum plures inopia preſſos e tenebris in lucem vendicavit. Tanta uſus eſt liberalitate, ut aliis ſublevandis, aere ſe alieno ſaepe gravaret. Facultates, ſiquae mortuo ſupereſſent, teſtamento juſſit diſtribui in pauperes, docens, quo uſu Eccleſiaſticae opes ſint expendendae. Nobili ſepulchro conditus eſt in aede S. Sabinae.



GEORGIUS COSTA LUSITANUS

ARCHIEPISCOPUS ULYSSIPONEN.

A SIXTO IV. AN. MCCCCLXXVI. CR. PR. CARD.

TIT. SS. PETRI, ET MARCELLINI,

DEINDE EPISCOPUS PORTUEN.

OBIIT ROMAE 19. SEPTEMBRIS 1508.

DOctrina, pietate, ac prudentia clarus ex infimo loco in altiſſimum dignitatis gradum evectus eſt. Alphonſi IV. Luſitaniae Regis a confeſſionibus, & conſiliis ita ſe probe, & ſapienter geſſit, ut ejuſdem Regis precibus Purpura decoraretur. Ad Venetos, alioſque Italiae Principes Apoſtolicae Sedis Legatus pro pace procuranda, eam inter Rempublicam, & Ferrariae Ducem compoſuit. Legatione quoque Innocentii VIII. juſſu functus eſt ad excipiendum ſacrae Lanceae ſerrum a Bajazethe Turcarum tyranno ad Pontificem miſſum, illudque cum Cardinali Juliano de Ruvere Narnia Romam detulit. Sedente Julio II. cui cariſſimus fuit, annum agens ſecundum ſupra centeſimum diem obiit, ſine non abſimili longae vitae pie, integreque traductae. Monachi Ciſtercienſes Georgium inter ſuos recenſent, nixi non inanibus argumentis. In tumulo, quem ſibi vivens poſuerat, requieſcit in aede S. Mariae de Populo, quam multis, magniſque muneribus exornavit.



JOANNES BAPTISTA MILLINUS ROMANUS

EPISCOPUS URBINAT.

A SIXTO IV. AN. MCCCCLXXVI. CR. PR. CARD.

TIT. SS. NEREI ET ACHILLEI.

OBIIT ROMAE 24. JULII 1478.

UTriuſque Juris Conſultus, praecipuis Aulae Romanae perfunctus muneribus, de Chriſtiana Republica, de Sede Apoſtolica, & Romana curia optime meritus eſt. Vir antiquiſſimis moribus praeditus, & priſcam gravitatem humanitate temperans. Interfecto Joanne Galeatio Mediolani Duce, graviſſimaque inter ejus fratres, & filios hinc orta diſſenſione, Millinus juſſu Pontificis in Inſubriam profectus, tanta auctoritate, & gratia valuit, ut & eorum domeſticas componeret diſcordias, & Genuam, quae a Duce defecerat, ſuo conſilio in priſtinam fidem reduceret. Tanti Cardinalis digniſſimus praeco extitit, ejuſdem benignitatis, & liberalitatis particeps in ſumma calamitate ſub Paulo II. conſtitutus Platina, qui in ejus vita, hoc a Deo immortali exoptandum eſſe dicit, ut in tanta temporum perturbatione, Antiſtitem aliquem Cardinali Millino perſimilem concederet, ne omnino flagitiis improborum boni periclitarentur. Laetitiam Urbis in Creatione Cardinalis Millini aequavit luctus in ejus obitu. Requieſcit ad S. Mariam de Populo in Sacello Sancti Nicolai a ſe extructo.

PETRUS DE FUXIO JUNIOR

EPISCOPUS VENETEN.

A SIXTO IV. AN. MCCCCLXXVI. CR. PR. CARD.

TIT. SANCTI SIXTI.

OBIIT ROMAE 17. AUGUSTI 1490.

EX Regio Cantabrorum ſanguine, filius quippe fuit Joannis Comitis Fuxienſis, & Eleonorae Aragoniae, ad quam Regnum Navarrae mortuo Joanne Aragonio devolutum eſt, Frater Gaſtonis, qui adoleſcens comparatus eſt ſummis quibuſque Ducibus. Petrus mitioribus ſtudiis addictus primum ſub diſciplina Petri Senioris Cardinalis de Fuxio, deinde in praecipuis Italiae Academiis animum liberalibus artibus, ac ſcientiis exornavit. Romae orationem habuit ad Paulum II., & Purpuratos Patres, luculentum ingenii, ac doctrinae ſuae teſtimonium. Inter Cardinales adſcriptus totus fuit in Eccleſiaſticis rebus procurandis, & in commiſſis ſibi Sacerdotiis adminiſtrandis. Galliae, & Navarrae Reges conſanguineos ſuos ab armis ad concordiam revocavit, & Brittaniae Principem Galliae Regi conciliavit. Franciſco Phoebo fratris ſui filio, quem educaverat, Regemque Navarrae unxerat, per venenum ſublato, reverſus eſt Petrus in Navarram, inteſtinis motibus penè convulſam, & prudentia & auctoritate Magnates ad extrema omnia paratos brevi compoſuit, ac reconciliavit. Romam reverſus obiit vitae Eccleſiaſticae norma, & auctor pacis nuncupatus. Jacet apud Auguſtinianos.

FR. GABRIEL VERONENSIS

ORDINIS FRATRUM MINORUM OBSERVANTIUM

EPISCOPUS AGRIEN.

A SIXTO IV. ANNO MCCCCLXXVII. CR. PR. CARD.
TIT. SS. SERGII, ET BACCHI.

OBIIT ROMAE 27. SEPTEMBRIS 1483.

Ex Comitum Rangoniorum Sanguine, ſed non legitimo toro in agro Veronenſi natus, Seraphicam Religionem amplexus eſt, factuſque inſignis Theologus, in Hungariam cum S. Joanne de Capiſtrano ſe contulit, ejuſque diſciplinam, & vitam imitatus, Auſtriae Provinciae Vicarius praefuit, & in Huſſitarum haereſim late per Bohemiam, & vicinas Regiones graſſantem Inquiſitor a Pio II. inſtitutus eſt. Matthiae Hungariae Regis a conſiliis ſaepe ejus nomine ad Romanus Pontifices, & ad Principes Legationes ſuſcepit. In bello contra Polonos, & Bohemos Matthiae individuus comes magna ex parte auctor fuit rei bene geſtae. Pacem inter Fridericum Imperatorem, & Matthiam e ſuggeſtu pronunciavit. Rogante eodem Matthia, cum multa alia pro Sede Apoſtolica preclare geſſiſſet, in Cardinalium Collegium cooptatur. Legationis munere functus eſt ad Regem Neapolis, ut eum ad arma contra Turcas excitaret. Saeviente bello inter Matthiam ex una parte, & Caſimirum Poloniae, & Uladislaum Bohemiae Reges ex altera, Gabriel Legatus a Pontifice inſtituitur ad procurandam pacem, quod ſtrenuae praeſtitit. Ea fuit ejus opera in publica Chriſtianorum, & privata Sedis Apoſtolicae cauſa, ut illum dexteritate ingenii, maturitate conſilii, morum gravitate, doctrina, & pietate apprime ornatum omnes venerarentur. Sepultus eſt ad Aram-caeli in ſacello a ſe condito in honorem Sancti Bonaventurae.

FR. ELIAS BORDEILLIUS GALLUS

ORDINIS FRATRUM MINORUM

ARCHIEPISCOPUS TURON.

A SIXTO IV. ANNO MCCCCLXXXIII. CR. PR. CARD.

TIT. S. LUCIAE IN SILICE.

OBIIT APUD CASTRUM ARTANIAE IN TURONIB. 5. JULII 1484.

Paterna domo Vicecomitum de Bordeilles relicta pene puer evolavit ad Fratres Minores, apud quos cum ſcientias didiciſſet, Verbique Dei eximiis praeco evaſiſſet, reluctans ad Epiſcopatum Petragoricenſem promotus eſt. Habitum, non mores Religioſi viri mutavit, omnibus non Epiſcopi ſolum, ſed & Parochi muneribus perpetuo functus. Ad Archiepiſcopatum Turonenſem translatus dignitatis incrementum contulit ad augendam, ornandamque Eccleſiae libertatem. Nam ejus violatorem Ludovicum XI., cui a Confeſſionibus erat, humiliter quidem, ſed fortiter reprehendit, ac tractatum edidit contra Pragmaticam Sanctionem, quam non modo Eccleſiae, ſed etiam Regni juribus magnopere adverſantem oſtendit. Virum de Eccleſia tam bene meritum Sixtus IV. Cardinalem creavit, quam dignitatem, qui in aliis maximi ſemper fecit, ſibi collatam nullo laetitiae, neque mutati animi ſigno accepit, raroque prae humilitate, ejus inſignibus uſus eſt. Floruit amicitia S. Franciſci de Paula, cujus virtutes imitatus magnam ſanctitatis famam conſequutus eſt. Poſt mortem claruit miraculis, & in Martyrologio FF. Minorum Beati nomine commemoratur.

Digitized by Google

ASCANIUS MARIA SFORTIA VICECOMES

A SIXTO IV. ANNO MCCCCLXXXIV. CR. DIAC. CARD.

TIT. SS. VITI, ET MODESTI

OBIIT ROMAE 28. MAJI 1505.

FRanciſci Mediolani Ducis, & Blanchae Vicecomitis filius, commendatione Ludovici Mori fratris, qui filiam Hieronymo Riario Sixti propinquo in matrimonium collocârat, Cardinalis eſt creatus praeſtantis ingenii, acriſque judicii juvenis. Quem honorem ob ingentes, quas & a patre acceperat opes, & prima illi Sacerdotia ſuppeditabant, ita geſſit, ut ampliſſimae dignitatis ſplendorem cultu vitae, ac plane Regia in omni genere magnificentia longe anteierit. Quae tamen in eo conſpectior, gratiorque in vulgus erat, quod ſine faſtu, ac ſuperbia exercebatur: cum ipſe officiis in bonos, atque virtute praeditos, humanitate in omnes, domo maxime hoſpitali, egeniſque perbenigna Senatorii muneris partes egregie tueretur; unde inter Ordinis ſui Principes ſummae eſſet potentiae. Hac tamen male abuſus eſt in Comitiis, quae poſt Innocentii VIII. mortem ſunt habita, in quibus haud dubie magnis praemiis, pollicitationibuſque corruptus, omnibus ſtudiis connixus eſt, ut Rodericus Borgia P. M. renunciaretur; qui brevi Aſcanio poeniténdi occaſionem dedit. Nam conſuluit, ſavitque Ludovico XII. Regi Galliae Mediolanum bello repetenti, a quo Morus, & Aſcanius victi, & capti in Galliam ducti ſunt. Morus ibidem obiit; Aſcanius vero ſortiter per triennium tolerata captivitate, data reditus fide, ad Comitia mortem Alexandri VI. ſubſequuta dimiſſus eſt. Oſtenſus eſt terris Pius III. Datus ſucceſſor ex Cardinalibus ille, quo cum Sfortia pro temporum, & rerum conditione perſaepe contenderat, Julius II. Hic parem Pontificiae dignitati animum ſumens, Aſcanium, Rege fruſtra revocante, Romae liberum eſſe juſſit, indignum judicans, R. E. Cardinalem captivum in aliena poteſtate haberi: ac defunctum marmoreo Monumento in Templo S. M. de Populo honeſtavit, cum hac memoratu digna ſepulchrali Inſcriptione.

Aſcanio. M. Sfortiae .... In. ſecundis. rebus. moderato. in adverſis. ſummo. viro. Julius II. P. M. virtutum. memor. honeſtiſſimarum, contentionum. oblitus. Sacello. a. fundamentis. erecto. poſuit. MDV.

ARDICINUS DE PORTA JUNIOR NOVARIEN.

EPISCOPUS ALERIEN.

AB INNOCENTIO VIII. AN. MCCCCLXXXIX. CR. PR. CARD.

TIT. SS. JOANNIS, ET PAULI.

OBIIT ROMAE 3. FEBRUARII 1493.

A Teneris annis ad pietatem, ac literas ita incubuit, ut pene adoleſcens Patriae Epiſcopus ab omnibus Ordinibus poſtularetur. Cum Florentiae Vicarium Archiepiſcopi ageret, Pauli II. pronunciatum in Florentinos Interdictum, ceteris ob Principum Civitatis potentiam ne hiſcere quidem audentibus, ſpreto capitis periculo pronunciavit, ac dignitatem Romani Pontificis, ſacrique Senatus auctoritatem tutatus eſt. Nuncii Apoſtolici munere functus, inter Fridericum III. Caeſarem, & Matthiam Corvinum Pannoniae Regem, quod multi antea fruſtra tentaverant, atrox, diuturnumque bellum extinxit, diſſidentiumque animos pacis vinculo ſociavit. Ornatus Purpura vitam duxit Monacho, quam Cardinali ſimiliorem. Domus enim ejus veluti Coenobium fuit, in quo omnia Regularis diſciplinae inſtituta obſervarentur. Id ſervido animo non ſatis eſſe reputans, obtenta a Pontifice licentia ad Camaldulenſes Eremitas proficiſcitur. Aegre autem ſerentibus Patribus, quod ſacri Collegii auctoritatem tanta in re contemnere viſus fuiſſet, ab Innocentio Romam revocatus, ſacri Senatus cenſurae humiliter ſe ſubmiſit, nec multo poſt, ut ſemper vixerat, ſancte obivit, ſcriptis heredibus familiaribus ſuis, qui monumentum Hero rari exempli, in Vaticana Baſilica poſuerunt.

Digitized by Google

ANTONIOTTUS PALLAVICINUS JANUENSIS

PATRIAE SUAE ARCHIEPISCOPUS

AB INNOCENTIO VIII. AN. MCCCCLXXXIX. CR. PR. CARD.

TIT. SANCTAE ANASTASIAE,

DEINDE EPISCOPUS PRAENESTINUS.

OBIIT ROMAE 10. SEPTEMBRIS 1507.

GRavitas, prudentia, conſilium, integritas in Pallavicino ita eluxerunt, ut in ſacrum Collegium adlectus, ampliſſimis Legationibus cohoneſtaretur. Romae praefuit, cum Alexander VI. Caroli VIII. Regis ex Neapolitano Regno in Galliam redeuntis conſpectum declinavit. A Julio II. ad Ludovicum XII. Galliae, & ad Ferdinandum Hiſpaniae Reges, qui Savonae convenerant, mittitur, ut pacem inter eos componeret, & foedus Pontificio nomine iniret adverſus Venetos, qui Ravennam, & Faventiam occupabant. Legatum tanti nominis Reges perhonorifice acceptum, medium incedere, & Regiae pariter menſae aſſidere admirabili venerationis in Sacerdotium exemplo voluerunt. Vir omni virtutum genere ornatus, atque in dicenda ſententia liber, & imperterritus, ubi maxime divinus honor, & Sedis Apoſtolicae decus ageretur. Sepulchrum ſibi condiderat in Baſilica Vaticana, ex qua translatus ad S. Mariam de Populo, conditus eſt cum fratris ſui filio Joanne Baptiſta Cardinali Pallavicino.



FR. PETRUS AUBUSSONIUS GALLUS

EQUITUM RHODIENSIUM MAGNUS MAGISTER

AB INNOCENTIO VIII. AN. MCCCCLXXXIX. CR. DIAC. CARD. TIT. SANCTI HADRIANI.

OBIIT RHODI 30. JULII 1503.

CLarus Majorum imaginibus ſub Sigiſmundo Impetatore in Hungaria adverſus Turcas prima militiae rudimenta poſuit. A Carolo VII. Francorum Rege arduis in negotiis adhibitus ſummam prudentiae, ac diligentiae laudem apud eum conſequutus eſt. Adſcriptus Equitum Rhodiorum Ordini ad varios Principes mittitur pro colligendis pecuniis ad deſendendam Rhodum ab Turcarum irruptionibus. Equitum Magnus Magiſter renunciatus pacis nova ſoedera cum Aegyptio Sultano inivit, ac inducias triginta annorum eum Tunetano tyranno conſtituit. Mahumetem II. Rhodum ingenti Claſſe oppugnantem ſuſtinuit, & obſidione in tres menſes producta, abire inſecta re coegit. Zizimum a fratre Bajazethe Mahumetis ſucceſſore in praelio victum, ac profugum excepit, miſitque ad Ludovicum XI. Galliae Regem, hic ad Innocentium VIII. Petrus ſacra Purpura ornatus, totius Aſiae Legatus de Latere declaratur. Statuta Ordinis Hieroſolymitani in optimam ſormam redegit. Sacra ornatus Toga, militare Sagum non depoſuit, & Vaticano Senatore, & magnanimo Duce digna patravit ſacinora. Chriſtianae Reipublicae bono, ac Dei gloria nihil antiquis habuit ad ultimam uſque ſenectutem. Optimo Principi ſuo ſancte vita functo ſumma utriuſque dignitatis pompa, veriſque lacrimis parentavit Rhodus, brevi heu! diſpari domino dominanda. Nam poſt novemdecim annos Summo Pontifice Hadriano VI. ſub jugum Turcarum miſſa eſt.

Digitized by Google

BERNARDINUS CARAVAJALIS HISPANUS

AB ALEXANDRO VI. AN. MCCCCXCIII. CR. PR. CARD. TIT. SS. PETRI, ET MARCELLINI,

DEINDE EPISCOPUS OSTIEN.

OBIIT ROMAE 16. DECEMBRIS 1523.

HIſpanici Legati munere fungens apud Sanctam Sedem, in numerum Cardinalium adſcitus eſt. Apoſtolicae Sedis Legatus, Maximilianum I. Romanorum Regem Italiam ingredientem excepit. Alias etiam Legationes pro Republica Chriſtiana cum per Campaniam, tum ad Germaniae populos integre, ſapienterque obivit. A Julio II., cujus bellicoſum ingenium oderat, inconſulto deficiens, cum aliis quatuor Sacri Collegii Patribus in Caeſaris Maximiliani, & Ludovici XII. Francorum Regis gratiam, coacto Piſis contra eum conciliabulo, poſtea Mediolani, ac demum Lugduni interfuit, magno ſibi labore aerumnas comparando. Eum Julius cum ſociis anathemate percuſſum, cunctis honoribus ſpoliavit. Quibus poſtea ejurato ſchiſmate, a Leone X. in gratiam receptus, reſtitutus eſt. Doctrina & eruditione ſingulari praeſtitit, proſpera fortuna moderate, adverſa conſtanter uſus. S. Crucis in Hieruſalem Baſilicam, cujus Titulum obtinuerat, ſqualore, & vetuſtate deformatam aere ſuo reſtituit. Obiit ſacri Collegii Decanus, in eaque ſepultus eſt.

HIPPOLYTUS ESTENSIS

ARCHIEPISCOPUS STRIGONIEN.

AB ALEXANDRO VI. AN. MCCCCXCIII. CR. DIAC. CARD. TIT. SANCTAE LUCIAE IN SILICE.

OBIIT FERRARIAE 3. SEPTEMBRIS 1520.

HErculis I. Ferrariae Ducis, & Eleonorae ſororis Ferdinandi Neapolis Regis filius, rogante matertera Beatrice Matthiae Hungariae Regis uxore, octennis ad Strigonienſem Eccleſiam promotus in Pannoniam ſtatim contendit, ac Rege ipſo magiſtro regendorum populorum, & militaris artis praecepta didicit. Literarum quoque ſtudia diligenter coluit, ac modeſtia, humanitate, & morum elegantia Hungarorum ſibi amorem, ac venerationem conciliavit. Anno aetatis decimoquinto ab Alexandro VI. in Vaticanum Senatum adſcriptus eſt, & Mediolani deſignatus Antiſtes, aliiſque in Italia, & in Gallia ampliſſimis auctus Sacerdotiis. Praeditus fuit admirabili prudentia in rebus arduis tractandis, ab omnibus Europae Regibus, & praeſertim a Maximiliano Auguſto, cujus Vicarius in Italia fuit, maximo in pretio habitus. Ludovici XII. Galliae Regis bellum in Inſubria gerentis ſecretioribus conſiliis interfuit. Profectus in Galliam, cum conciliabulum contra Julium II. pararetur, non prece, non ulla arte contra Pontificem excitari potuit, ſed dexteritate cum Julio Pontifici, tum Ludovico Regi ita ſatisfecit, ut ſuum uterque fuiſſe arbitraretur. Pannoniam Uladislao Rege repetens, diſcordias in Nobilitate ortas ſedavit. Cum Leo X. Bononiam, colloquium cum Franciſco Gallorum Rege habiturus ſe contuliſſet, Hippolytus, & Sanſeverinas primi Diaconi Cardinales Regem medium excipientes in conſpectum Leonis deduxere. Bonam Sfortiam neptem ſuam Sigiſmundo Poloniae Regi deſponſatam, in Poloniam deduxit, & a Proceribus, ac Rege ipſo vinci ſe magnificentia non paſſus eſt. Paulo poſt reditum in Italiam e vivis exceſſit, & Ferraria Principem omnium, quos aetas illa tulit, humaniſſimum, ac beneficentiſſimum ingenti luctu deflevit.

Digitized by Google

DOMINICUS GRIMANUS VENETUS

AB ALEXANDRO VI. AN. MCCCCXCIII. CR. DIAC. CARD.
TIT. S. NICOLAI INTER IMAGINES,
MOX PR. CARD. S. MARCI,
DEINDE EPISCOPUS PORTUENSIS.
OBIIT ROMAE 27. AUGUSTI 1523.

VIrtute, ac ſcientia celebris, Patriarchatum Aquilejenſem magna prudentia, zelo, & integritate adminiſtravit. Ejus pietas in parentem Antonium Grimanum commendatur, inſigni apud poſteros documento. Huic enim poſt abrogatum Imperium ob rem ad Naupactum contra Turcas minus feliciter, quam fideliter geſtam Venetias revocato, filius juxta carcerem occurrit, eumque complexus, ac perfundens lacrimis: *Ego*, inquit, *pro te, pater, tuaque ſalute, in publica me vincula conjiciam, nec prius exolvi me iis patiar, quam audiero, te publico judicio abſolutum*. Inter haec, compedum pondera, ut ſcalas carceris conſcendentem patrem minus gravarent, Cardinalis ſacratis manibus ſubſtentabat. Divulſus inde ab eo miniſtrorum opera, precibus, & lacrimis contendebat, ut ſe filium captivo patri ad ſolatium adjungerent: *Dignum enim ſuo obſequio eſſe, qui ſibi vitam, & unde viveret, dediſſet*. Non multo poſt, cum Antonius exilio multatus Romam ad filium advolaſſet, ſic ab eo exceptus eſt, ut eum exilii ſui non taederet. Filio autem ſatagente, & clareſcente in dies innocentia patris, ſingulari exemplo honoribus reſtitutus, Dux Reipublicae creatus eſt poſt obitum Leonardi Lauretani. Pietati pares in Dominico fuerunt reliquae virtutes. Bonorum, ac literatorum virorum patronus, nullos domi aluit, qui non inſigni aliqua virtute, aut ſcientia praeſtarent. Bibliothecam comparavit octo millibus ſelectorum voluminum, quam Coenobio S. Antonii Venetiarum teſtamento legavit. Eum Romani Pontifices plurimi aeſtimaverunt, & praeſertim Leo X., & Hadrianus VI., qui aegrotantem ſaepe inviſit, & vita functum luxit. Depoſitus eſt in Titulo Pammachii.

Digitized by Google

GEORGIUS AMBOSIUS GALLUS

ARCHIEPISCOPUS ROTHOMAGEN.

AB ALEXANDRO VI. AN. MCCCCXCVIII. CR. PR. CARD.

TIT. SANCTI SIXTI.

OBIIT LUGDUNI 25. MAJI 1510.

INgenio, & prudentia ſingulari ornatus, ad plures Eccleſias pro meritis, ac more temporis promotus, ceteris relictis uno Rothomagenſi Archiepiſcopatu contentus fuit, Sacrorum Canonum legem ſequutus, uni ſponſae unum virum decernentium. Ludovici XII., ac Regni Gallicani velut oraculum, adſcriptus eſt Purpuratis Patribus, delatis ad eum per Caeſarem Borgiam dignitatis inſignibus. Ejus praeſertim ſuaſione reducta eſt in poteſtatem Regis Inſubria, cujus Prorex, Regiique exercitus ſupremus Dux renunciatus, Italicarum rerum pace, belloque arbiter eſt habitus, & Mediolanum toto triduo inſomnis a direptione militum liberavit. Legatione Gallica, & Avenionenſi ſumma integritate functus eſt. Religioſas Mendicantium familias a primaevo Inſtituto deſciſcentes in ordinem redegit. Civitatem, Eccleſiam, & Dioeceſim ſuam Rothomagen. ſanctis decretis, praeclariſque beneficiis decoravit. Primarius Regni Miniſter ita ſe geſſit, ut non hebes quidem illi ad gloriam ſenſus, ſed cupiditas chriſtiana pietate temperata inter moderationis fines contineretur. Erant ſine avaritia mores, victus facilis, comitatus ſine magna pompa, ſincera mens, nitidum ingenium. Miſeris ſublevandis perpetuo incubuit, optime de Eccleſia meritus, ac de Rege Ludovico XII., qui ejus opera, & conſiliis uſus non adulatorio nomine Pater Patriae appellatus eſt. Rothomagi turrim pulcherrimam aedificavit, in qua mirabilem nolam appendit nomine ſuo dictam, pondere quadraginta fere millium librarum. In aede ſua metropolitana magnificentiſſimo ſepulchro conditus eſt.

Digitized by Google

THOMAS BACOCIUS HUNGARUS

ARCHIEPISCOPUS STRIGONIENSIS

AB ALEXANDRO VI. ANNO MD. CR. PR. CARDINALIS TIT. SS. SILVESTRI, ET MARTINI IN MONTIBUS.

OBIIT IN HUNGARIA 11. JUNII 1521.

HUmili loco in Hungaria natus a puero in Italia educatus Bononiae, & Ferrariae ſtudiis literarum operam dedit. Cardinalis Hyppoliti Eſtenſis a ſecretis fundamenta jecit illuſtrioris fortunae. Tanta enim deinde polluit auctoritate, ut Hungariae Regis Cancellarius, hinc Archiepiſcopus Strigonien. & Regni Adminiſter conſtitueretur. In Senatum Cardinalium Uladislai Regis, & Reipublicae Venetae precibus adlectus, a Julio II. Romam accitus eſt, ut contra conventum Piſanum decertaret, Hungaroſque in Romani Pontificis obedientia contineret. A Leone X. Crucem, ſacrae militiae ſignum, contra Turcas impetravit. Qua publicata, ingens illico exercitus coaluit, qui Turcico bello omiſſo, contra Optimates Hungariae conſpiravit: verum fatale diſſidium Thomas prudenter extinxit. Claruit Legationibus per ſeptentrionalia Regna ſumma cum laude adminiſtratis. Leoni X. adjumento fuit ad pacem inter Chriſtianos Principes firmandam. Defuncto Uladislao, cum imbecillis eſset Ludovici ejus filii aetas ad regendos populos, omnia ipſe difficillimis temporibus prudenter, tranquilleque ex Pontificis voluntate adminiſtravit. Continent ejus laudes datae ad eum Leonis X. Epiſtolae.

NICOLAUS DE FLISCO JANUEN.

EPISCOPUS FOROJULIEN.

AB ALEXANDRO VI. AN. MDIII. CR. PR. CARD.

TIT. SANCTAE PRISCAE,

DEINDE EPISCOPUS OSTIEN.

OBIIT ROMAE 14. JUNII 1524.

MEritis ſuis magis, quam Ludovici XII. Galliae Regis rogatu ad Purpuram evectus, Pontificiae Legationis munere in Liguria, & in Gallia functus eſt. Vir ſanctiſſimis moribus, conſtans Jurium Eccleſiae propugnator, ac nullas pro iis tuendis magnorum virorum offenſiones ſubire veritus, ipſi Alexandro, quem timebant omnes, ſaepe ut res poſcebat, refragatus eſt: a quo nihilominus in aeſtimatione habitus, demonſtravit non poſſe bonum civem non benemereri apud Principem etiam non bonum. Qua perpetua vitae integritate, ac meritorum gradibus, cum ad ſummum auctoritatis, & aeſtimationis locum conſcendiſſet, in Pontificiis Comitiis poſt Leonis X. obitum habitis, de anteacta vita judicium clariſſimo exemplo confirmavit. Nam cum magna ſuffragiorum pars in illum inclinaret, & nonnulli inſinuarent, ut reliquas largitionibus ad ſe alliceret, ingentem pecuniam ea de cauſa collectam, atque paratam affirmantes; Vir integer foediſſimam rem abominatus, nefaria ſuadentes gravi objurgatione ab ſe repulit, docens virum probum, nullo emolumento, quod nefas ſit, unquam admiſſurum. Didicerat quippe a Majoribus ſuis Innocentio IV, & Hadriano V, quibus gradibus ad Petri Solium aſcenderetur, nempe integritate, fide, religione. Obiit pientiſſime Decanus Sacri Collegii, non multo ante Urbis direptionem, & in aede S. Mariae de Populo tumulatus eſt.

Digitized by Google

FRANCISCUS XIMENIUS HISPANUS

ORDINIS FRATRUM MINORUM

ARCHIEPISCOPUS TOLETANUS

A JULIO II. ANNO MDVII. CR. PR. CARDINALIS

TIT. SANCTAE SABINAE.

OBIIT APUD AQUILERAM 6. NOVEMBRIS 1517.

NObili, vetuſtaque familia natus, ſtudiorum peracto curriculo Romam contendit, ubi ſe in cauſis forenſibus aliquandiu exercuit. In Hiſpaniam reverſus negotiorum ſtrepitus fugiens Sancti Franciſci Inſtitutum amplexus eſt, & tot, tamque praeclara pietatis documenta dedit, ut brevi maximam de ſe ſanctiſſimi viri opinionem excitaret. Ab eo honorum, ac dignitatum contemtore Iſabella Caſtellae Regina aegre impetravit, ut ſibi a Confeſſioninibus eſſet, regimenque Toletanae Eccleſiae ſuſciperet. Eo in munere Pontificiam dignitatem cum Sancti Franciſci humilitate conjungere ſibi propoſuit. Verum cum neglectam nimis, ac prope nullam familiam, nullum ornatum, nullum ſplendorem praeſeferre videretur, non modo Regum hortatu, ſed Romani Pontificis imperio omnia conditioni ſuae convenientia adhibere coactus eſt. Foris itaque ſplendidus, intus ſeverae Regulae ad ultimum uſque ſpiritum obſervantiſſimus fuit, legeſque ſanctiſſimas Clero, & populo praeſcripſit: Complutenſem Academiam auxit, & ornavit. Ne priſcorum Hiſpanorum Ritus miraculorum teſtimoniis comprobati in deſuetudinem abirent, illos reſtituendos ſuſcepit, libroſque omnes, quibus ſacra, ut dicunt, Moz-arabum continentur, Gothicis caracteribus conſcriptos, noſtris reddi, typiſque excudi curavit. Bibliorum quatuor linguarum editio, ſummo ejuſdem ſtudio, magniſque impenſis perfecta eſt. Maurorum Granatenſium Converſionem ceteris deſperatam vir magnanimi zeli aggreſſus ad exitum perduxit. Inſtructa aere ſuo claſſe ad Africae litora appulit, atque Oranum urbem Maurorum opulentiſſimam expugnavit. Defuncto Ferdinando Regnum adminiſtravit, pacatumque tradidit Carolo Auſtriaco adoleſcenti, cui exemplis ſuis imperandi artes deſignavit. Magnae virtutes, & res preclare geſtae Ximenio Magni Cardinalis cognomen fecerunt.

MATTHAEUS SCHINER HELVETIUS

EPISCOPUS SEDUNEN.

A JULIO II. AN. MDXI. CR. PR. CARDINALIS

TIT. S. PUDENTIANAE.

OBIIT ROMAE 2. DECEMBRIS 1522.

HUmili loco natus, ſcientiis, omnique pene rerum humanarum cognitione illuſtre ſibi nomen comparavit. Epiſcopus Sedunenſis creatus, cum magna apud contribules ſuos auctoritate polleret, Julio II. adverſus Ludovicum XII. Galliae Regem ab Helvetiis opem imploranti praeſto ſuit, egregiamque operam ſic praeſtitit, ut & merito ſuo, & in gratiam gentis ſuae Purpura honeſtaretur. Leonem X. pro recipienda Parma, & Placentia bellum moventem mirifice juvit, & Mediolanum ab jugo Tranſalpino liberavit. S. Sedis Legationes obivit apud gentem ſuam, & apud Maximilianum Imperatorem: tum in univerſa Germania, deinde in univerſa Italia. Vir inter primos Imperatores aeque numerandus, atque inter bonos Pontifices, qui utramque populorum ſalutem paterne, ſeliciterque curavit, & confirmavit. Leo X. illum appellat virum ornatum ſummis, praeſtantiſſimiſque virtutibus, & Franciſcus Galliae Rex teſtatus eſt, plus ſibi ſumtus, atque periculi unius Cardinalis Sedunenſis ſacundiam attuliſſe, quam omnes Helvetiorum phalanges. Situs eſt in Templo S. Mariae Nationis Teutonicae.



MATTHAEUS LANGIUS GERMANUS

EPISCOPUS GURCEN.

A JULIO II. ANNO MDXI. CR. DIAC. CARDINALIS
TIT. S. ANGELI IN FORO PISCIUM,

DEINDE EPISCOPUS ALBANEN.

OBIIT SALISBURGI 30. MARTII 1540.

QUamquam paternae familiae Welemburgicae titulis clariſſimus eſſet, tamen Cardinalis Gurcenſis, ab Eccleſia, cui praeſuit, nuncupatus, ſingulari prudentia & doctrina ornatus, beneficus, & maxime hoſpitalis, de infimis pariter, ac ſummis benemereri ſtuduit. Maximiliani Caeſaris opera Salisburgenſis Archiepiſcopus renuntiatus, Orator ad Uladislaum, Ludovicum, & Sigiſmundum Hungariae, Bohemiae, & Poloniae Reges perrexit, ut foedus inter eos conjungeret, remque ex ſententia perfecit. Ad Julium II. pro jungendo eodem foedere miſſus a Maximiliano, Pontifici ejus obſequia, aut, ut ajunt, obedientiam exhibuit. Sedente Leone X., ei Caeſareo in Italia Vicario Romam venienti iidem honores decreti ſunt, qui Regi, vel Regis primogenito filio praeſtari conſueverunt. Praeclara, & multa aedificia, praeſertim in Arce Salisburgenſi conſtruxit, eamque Eccleſiam, quam ſumma prudentia rexit, magnis muneribus cumulavit. Illum idcirco magnis laudibus clariſſimi ejuſdem temporis Authores merito celebraverunt.

LAURENTIUS CAMPEGIUS BONONIENSIS

EPISCOPUS FELTREN.

A LEONE X. ANNO MDXVII. CR. PR. CARD.
TIT. SANCTAE ANASTASIAE,

DEINDE EPISCOPUS SABINENSIS.

OBIIT ROMAE 25. JULII 1539.

VIrum Civilis ſcientiae gloria clarum Julius II. inter Rotae Auditores adlegit. Eo tempore Cardinales quidam a Julio receſſerant, & Maximiliani Caeſaris, ac Ludovici XII. Galliae Regis ſtudiis ſubnixi Concilium injuſſu ejus Piſas indixerant. Quare cum Julius opportunum hominem quaereret, quem Nuncium ad Caeſarem ſuper tanto negocio mitteret, neminem habuit, quem Laurentio anteſerret. Quam Legationem, quamquam ex omni parte impeditam, & lubricam, ſolertia, & dexteritate ingenii ita geſſit, ut proſpere confecerit. Sedente Leone X. apud Maximilianum Ducem Mediolani effecit, ut Parma, & Placentia ad ditionem Eccleſiae redirent. Ad Caeſarem II.° Nuncius, eumdem, & Uladislaum Hungariae Regem conciliavit, percuſſoque inter eos foedere, adverſus Turcas eorum vires convertit. Mox cum Leo conſtituiſſet eodem modo alios Reges Chriſtianos cum Caeſare ſociare, Laurentium, quem ex Germania redeuntem Cardinalem renuntiaverat, ad Henricum VIII. Angliae Regem Legatum deſtinavit. Hac occaſione Cleri Anglicani diſciplinam conſuetudine depravatam corrigere, ac ad priſtinos mores revocare ſategit. A Clemente VII. Eccleſiae Bononienſi praeficitur, & Legatus III.° in Germaniam declaratur, ad Lutheranam haereſim compeſcendam. Conventui Norimbergenſi interſuit, deinde Ratisponenſi, in quo amplam illam conſtitutionem pro Cleri Germanici reformatione promulgavit. In Angliam II.° ad Henricum, divortium a Catharina Conjuge meditantem ablegatur, datus Judex in tanta cauſa. Deſperata concordia redivit Bononiam. Huc Clemens conceſſerat ad coronam Carolo V. Romanorum Regi imponendam, cui in Germaniam redeunti Laurentius Legatus Apoſtolicus additur, qui Conventui Auguſtano, pro Fide Catholica praeeſſet. A Paulo III. Legatus cum duobus Cardinalibus ad inchoandum Vicentiae Concilium pronunciatur, quo in aliud tempus prorogato, ad Curiam rediit, ubi pietatis operibus intentus vitae finem impoſuit. Vir magnus, acer, ſeculo ſuo celeberrimus, & per omnia ſequentia memorandus.

Digitized by Google

S C A R A M U T I A   T R I V U L T I U S

E P I S C O P U S   C O M E N.

A LEONE X. AN. MDXVII. CR. PR. CARDINALIS
TIT. S. CYRIACI IN THERMIS.

OBIIT IN AGRO VERONENSI 9. AUGUSTI 1527.

IN Ticinenſi Gymnaſio Legum diſciplinam magna cum laude aliquandiu docuit. Cum enim ex primaria eſſet Mediolanenſi familia, poſteros exemplo ſuo monitos voluit, ſcientia potius, quam arte militari gloriam comparari. Ex Ticinenſi cathedra a Ludovico XII. Galliae Rege in Regni conſilium adſcitus, parem ad munus attulit ſapientiam, & integritatem. Conflato inde adverſus Julium Pontificem conciliabulo, quod ſchiſma inde in Romana Eccleſia oriturum praenoſceret, transfugis Cardinalibus non favit, ſed Julio vocante, Romam profectus, Lateranenſi Concilio a Julio inchoato, ac poſtmodum a Leone X. abſoluto magno Reipublicae Chriſtianae commodo, interfuit. Cardinalis renuntiatus, & a Franciſco I. Galliae Protector inſtitutus, in utroque munere laudabiliter ſe geſſit. Praeter Comenſem, alias quoque rexit Eccleſias, nimirum Viennenſem in Gallia, & Placentinam in Italia. Frequentiſſimum doctorum virorum coetum domi ſemper habuit, inter quos numerandus primus Joannes Laſcaris, Graecus notae eruditionis. Audito diſceſſu Caeſarei exercitus Mediolano Urbem verſus, Trivultius prudenter futura conjiciens, obtenta facultate Roma diſceſsit, cui praeſens auxilio eſſe deſperabat, aucturus potius damnis ſuis publicam calamitatem. In receſſu ſuo Veronenſi, turbatis valde alibi rebus, quievit in pace.

Digitized by Google

THOMAS DE VIO CAJETANUS

ORDINIS FRATRUM PRAEDICATORUM MINISTER GENERALIS

A LEONE X. ANNO MDXVII. CR. PR. CARDINALIS
TIT. SANCTI SIXTI.

OBIIT ROMAE 10. AUGUSTI 1539.

ORdinis Praedicatorum , & Eccleſiae decus Purpurae honore auctus Religioſi Inſtituti vitam, ſtudia, paupertatem non deſeruit. Ad Maximilianum Caeſarem Legatus Lutheri haereſim confutaturus mittitur: cumque nec rationibus , nec Summi Pontificis auctoritate, nec Caeſaris, aliorumque Catholicorum Principum viribus haereſiarcham ad ſanitatem revocare potuiſſet , Deo cauſam commendans Romam reverſus eſt. Ab Hadriano Legatus in Pannoniam mittitur, ut Ludovicum Regem a Turcis oppugnatum ſua prudentia , & auctoritate juvaret. Vix tamen eo pervenerat, cum Ludovicus temere collatis ſignis , omnibus ſuis ad unum amiſſis, ſaluti fuga conſulens in paludis coeno miſere interiit. Juſtis Regi perſolutis , Romam rediit ſedente Clemente VII., qui Thomae opera, conſilioque in rebus omnibus ad bonos mores, & diſciplinam ſpectantibus ſemper uſus eſt . Sacris literis totus incumbens, utrumque Teſtamentum doctiſſime interpretatus eſt, & adverſus inſurgentes haereſes Catholica dogmata fortiſſime propugnavit . Quare Clemens dum in Romae depraedatione indigna Cajetanus a militibus pateretur, haec verba protulit = Cavete, ne extinguatis lumen Eccleſiae = Cultor perpetuus humilitatis ſepulchrum in Templi S. Mariae ſupra Minervam veſtibulo ad ſcalas elegit, ibique ſepeliendum ſe mandavit , praetereuntium veſtigiis conculcandum , inſcripto in ſimplici lapide ſolo nomine ſuo , & dignitatis. At Nomen unum Cardinalis Cajetani omnia videtur aequare elogia.

Digitized by Google

CHRISTOPHORUS NUMALIUS FOROLIVIEN.

ORDINIS FRATRUM MINORUM OBSERVANTIUM

A LEONE X. ANNO MDXVII. CR. PR. CARDINALIS TIT. S. BARTHOLOMAEI IN INSULA.

OBIIT ANCONAE 23. MARTII 1528.

CUm eximae doctrinae ſanctitatem vitae, & in rebus gerendis prudentiam adjungeret, Ordinis ſui Generalis Miniſter electus eſt. Gallorum Regi carus, & Reginae a Confeſſionibus fuit. Ad Cardinalatus honorem evectus, tanto ſe munere indignum reputans, declinare ab eo niſus eſt, quouſque Leonis praecepto non modo hanc dignitatem, ſed & Regienſem, & alias Eccleſias pro more temporis, regere coactus eſt. In direptione Urbis captus a militibus, innumeris laceſſitus injuriis, ac nudus pene relictus, omnia aequiori animo tulit, quam Reges Galliae, & Angliae, qui datis ad eum conſolatoriis literis, de illatis tanto Viro contumeliis, graviter conqueſti ſunt. Scripſerat Numalius Theologica plurima, Aſcetica, & Moralia, quae in direptione domus ſuae perierunt.

Digitized by Google

AEGIDIUS VITERBIENSIS

ORDINIS FRATRUM EREMITARUM S. AUGUSTINI

A LEONE X. ANNO MDXVII. CR. PR. CARDINALIS

TIT. S. MATTHAEI.

OBIIT ROMAE 12. NOVEMBRIS 1532.

Honeſtis parentibus natus Viterbii, a Patria cognomen accepit. Ordinem Fratrum Eremitarum S. Auguſtini a puero ingreſſus, humaniores literas, ſcientiaſque omnes didicit, ac Theologiae decus, & ornamentum appellari meruit. Ordinis ſui ſummus Magiſter, a Julio II. cum ad Venetos, tum ad Regem Neapolis miſſus eſt, ut eos hortaretur ad ſigna conjunctim in Turcas inſerenda. Orator doctus, & eloquens auditores quocunque voluiſſet, facile impellebat. Concio in Lateranenſi Synodo ab eo habita, Patres admiratione complevit, ob quam illum Bembus clariſſimum obſcureſcentis ſeculi lumen appellavit. Nuncius ad Caeſarem, a Leone ſacra Purpura exornatur. Cum Selimus poſt debellatam Aegyptum, Chriſtianis arma minitaretur, functus eſt Legatione Hiſpanica ad eam gentem contra communem hoſtem excitandam. Patriarchatum Conſtantinopolitanum, Epiſcopatum Viterbienſem, aliaſque Eccleſias gubernavit. Exceſſit e vita deſtinatus, optatuſque a multis ad Pontificatum, non impar ſummo oneri. Multa & illuſtria reliquit ingenii ſui monumenta, quae Romae in Bibliotheca Coenobii S. Auguſtini aſſervantur. Jacet ante Aram maximam Templi Auguſtiniani cum epitaphio teſte eximiae ejus doctrinae, cognitioniſque omnium nobilium linguarum.

JOANNES SALVIATUS FLORENTINUS

A LEONE X. ANNO MDXVII. CR. DIAC. CARD.

TIT. SS. COSMAE, ET DAMIANI,

DEINDE EPISCOPUS PORTUENSIS.

OBIIT RAVENNAE 28. OCTOBRIS 1553.

LEonis X. Sororis Lucretiae filius ex Protonotario Apoſtolico inter Cardinales cooptatur. Plures in Italia, ac in Gallia administravit Eccleſias. Rerum gerendarum apprime gnarus ſedente Clemente VII. Apoſtolicae Sedis nomine, Legatione functus eſt Parmae, & Placentiae: tum in Gallia, inde ad Caeſarem in Hiſpania, iterumque in Gallia, quo tempore Urbs a Caeſaris exercitu capta eſt, ut Franciſcum Regem ad liberandum de poteſtate hoſtium Pontificem, excitaret. Pro pace iterum Legatus in Hiſpaniam de Patrum conſenſu deſtinatus, conſulto ire recuſavit, ne ipſe quoque, ut aliis Cardinalibus contigerat, cum dedecore Romanae Eccleſiae captivus detineretur. Vir omni virtutis ſplendore illuſtris, & ad omnia ſcientiarum ſtudia propenſus literas perpetuo fovit, ac promovit, itaut ejus aedes ſapientium, doctorumque omnium domicilium eſſe viderentur. In Comitiis poſt Pauli III. obitum, Pontifex Maximus pene ab omnibus acclamatus, ſummam forte dignitatem conſequutus fuiſſet, niſi ab ea Carolus V., ob ejus cum Rege Galliae affinitatem, amicitiamque arcendum putaviſſet. Tanti intereſt paria ſummis Principibus obſequia praeſtare.



Digitized by Google

ALBERTUS MARCHIO BRANDEBURGICUS

ARCHIEPISCOPUS MOGUNTINUS

A LEONE X. ANNO MDXVIII. CR. PR. CARDINALIS
TIT. SANCTI CHRYSOGONI.

OBIIT MOGUNTIAE 24. SEPTEMBRIS 1545.

PRinceps alto ſanguine genitus, avitae virtutis, & ſapientiae ſplendore longe clariſſimus, primo Magdeburgenſis Germaniae Primas, mox Moguntinus Archiepiſcopus electus, duabus ſimul Metropolitanis Sedibus gubernandis, quod nulli hactenus Principum in Germania contigerat, Leonis favore, & conſenſu praefuit. Rogante Maximiliano I. Imperatore Purpura inſignitus, Auguſtae Vindelicorum a Thoma de Vio Cardinali Sedis Apoſtolicae Legato rubrum Galerum ipſo Caeſare praeſente maximo apparatu ſuſcepit. In agro Domini operarius indefeſſus Paſtoralia munera praeter conſuetudinem multorum Praeſulum aevi ſui, ipſe exercebat. De Sede Apoſtolica, & Republica Chriſtiana optime meritus, Cleri incontinentiam ſanctiſſimis legibus coercuit, & eximiam divino cultui obſervantiam toto vitae tempore exhibuit. Lutheri audaciam, ſi non fregit, inhibuit tamen, ac retardavit. Nam avitam religionem, quam pupillam oculi ſui appellare conſueverat, ſartam, tectam uſque ad ſupremum vitae ſpiritum ſervare conatus eſt. Totus fuit in reparandis, ornandiſque Templis, ſolitus verba haec Pſalmiſtae ſaepe pronunciare: *Domine, dilexi decorem Domus tuae*.



Digitized by Google

ERARDUS DE MARKA

EPISCOPUS LEODIENSIS

A LEONE X. AN. MDXX. CR. PR. CARDINALIS
TIT. S. CHRYSOGONI.

OBIIT LEODII 16. FEBRUARII 1538.

ROberti de Marka Bullionis, & Sedani Principis, ac Cliviae Dynaſtae filius, ut majorum ſuorum nobilitate clarus, ita literarum ſacrarum, humanarumque cognitione, & eloquentia commendatus eſt. Electus Epiſcopus Leodienſis, Urbem propugnaculis, noviſque aedificiis, & veteribus inſtauratis amplificavit. Reſtituendae Cleri ſui diſciplinae omnem operam navavit. In Italiam ad Caeſarem Maximilianum contra Venetos bellum gerentem a Ludovico XII. Galliae Rege miſſus, omnia, quæ ad bonum Chriſtianae Reipublicae ſpectabant, magna ſedulitate perfecit. Inde temporum neceſſitati ſe accomodans, rebus non ſuis, ſed publicis Leodienſis Eccleſiae ſerviens, Caroli Auſtriaci partes ſecutus, in Conventu Francofordienſi ejus in Imperatorem electioni ſavit, & eodem Carolo deprecante Sac. Cardinalium numero adſcriptus eſt. Interfuit paci Cameracenſi inter Caeſarem, & Regem Galliae firmatae, qua quieti ditionis Leodienſis conſultum eſt. Scientiarum Patronus curavit maxime, ut bonae artes colerentur, & florerent. Fuit in Erardo Religionis propagandae perpetuum ſtudium, in Eccleſiaſtica diſciplina reſtituenda indefeſſus labor, in extirpandis novatorum erroribus aſſidua vigilantia, in ſublevandis egenis indeficiens beneficentia, in Eccleſiae juribus vindicandis robur invictum. Viginti aureorum Imperialium millia pro milite adverſus Turcas legendo ex aerario ſuo contulit. Cardinalem Polum a Paulo III. in Angliam deſtinatum, ut Henricum VIII. ad ſana conſilia revocaret, ab ipſo Henrico ad necem quaeſitum, exulantem, & errabundum ad ſe Leodium evocavit, & perhonorifice accepit. Volvens animo aſſiduam mortis meditationem, monumentum aereum ſibi poſuit, juſſitque, cum ſenſit vires deficere, ipſi ſibi praeſenti, ut mortuo, celebrari inferias, ſpectans ipſe in illo imaginario funere veras ſuorum lacrimas. Frequenter in ore habebat: Votis decipimur, & tempore fallimur: atra mors ridet curas, anxia vita nihil.

WILLELMUS ENKENVORTIUS

IN BRABANTIA NATUS

EPISCOPUS DERTUSEN.

AB HADRIANO VI. ANNO MDXXIII. CR. PR. CARDINALIS

TIT. SS. JOANNIS, ET PAULI.

OBIIT ROMAE 30. JULII 1534.

AB inuente aetate perpetuae Willelmo comites fuerunt innocentia, modeſtia, & fides. Ab Hadriani latere nunquam diſceſſit, qui claro benevolentiae argumento translatis in eum priſtinae ſuae dignitatis inſignibus, ſolum, & unicum in Sacrum Collegium cooptavit. A Clemente VII. Eccleſiae Trajectenſi praefectus bonarum literarum promotor, ac patronus fuit munificus. Quos in commiſſo ſibi populo vel egeſtas, vel morbus, vel adverſa fortuna jactabat, omni ope ſublevavit. Nemo etiam fuit in Dioeceſi bonus, nemo literarum amans, qui ei tanquam optimo parenti non longam, felicemque ſenectutem apprecaretur. In grati animi ſignificationem in Templo S. Mariae de Anima Sepulchrum marmoreis ſignis conſpicuum Hadriano poſuit, hoc in fronte, ut optimi Pontificis famam a calumniis apud poſteros vindicaret, inſculpto documento: Proh dolor! quantum refert in quae tempora vel optimi cujuſque virtus incidat! notans ſeculum illud veluti aegrum, non habuiſſe guſtum virtutis, quae in Hadriano fuit egregia, ſed forte nimis ſevera. Requieſcit in eadem aede Sanctae Mariae, quam cum contribulibus ſuis aedificavit.



HERCULES GONZAGA

EPISCOPUS MANTUANUS

A CLEMENTE VII. ANNO MDXXVII. CR. DIAC. CARD.
TIT. S. MARIAE NOVAE.

OBIIT TRIDENTI 2. MARTII 1563.

FRanciſci I. Marchionis Mantuae filius virtutibus, quam genere nobilior fuit. Claruit enim ſingulari pietate in Deum, liberalitate in pauperes, prudentia, eruditione, doctrina. Hinc Romani Pontifices in publicis Eccleſiae negotiis ejus ſemper uſi ſunt conſilio. Legationes adminiſtravit in Campania, & apud Carolum V., quem Bononia, ubi diadema de manu Pontificis ſuſceperat, magno apparatu Genuam uſque comitatus eſt. A Paulo III. ad Franciſcum I. Galliae Regem mittitur pro componendis diſſenſionibus, quae inter ipſum, Carolumque Imperatorem vigebant. Pius IV. primum Apoſtolicae Sedis Legatum, & Praeſidem Concilii Tridentini declaravit vel invitum, quo in munere tam accuratum, & diligentem ſe praeſtitit, ut in tanta ingeniorum, ſtudiorumque contentione, unam, conſtantemque ab omnibus laudem referret. Cum diſceſſum multis de cauſis cogitaret, univerſa mox Synodus eo nuncio perturbata, reſtitit, Principes omnes repugnârunt, & Caeſar ipſe preces, & Pontifex praeceptum interpoſuit, ne abiret. Sexta ſeſſione peracta, morbo oppreſſus interiit magno Reipublicae Chriſtianae incommodo, nec minori luctu. Concilii Patres regio more Herculis funus celebrârunt. Egentes vero ac miſeri, in quos una vice ad quinquaginta aureorum millia effuderat, tota in Inſubria lacrimis ſuis ei illuſtrius parentaverunt.

FRANCISCUS QUIGNONES

HISPANUS PATRIA LEGIONENSIS

ORDINIS FRATRUM MINORUM OBSERVANTIUM

A CLEMENTE VII. AN. MDXXIX. CR. PR. CARD.

TIT. S. CRUCIS IN HIERUSALEM.

OBIIT VERULIS 27. OCTOBRIS 1540.

Comitis de Luna filius, nobiliſſimae ſamiliae heres abdicatis mundanae gloriae titulis, & ſeculo nuntium remittens, Crucis militiam ſub S. Franciſci Signis profeſſus eſt. Totius Ordinis Moderator electus, dure adeo in ſeipſum egit, ut omnibus Fratribus ſuis admirationi eſſe poſſet, paucis imitationi. His virtutum exemplis clarum, Clemens in Hadriani Mole obſeſſus, ad Carolum Caeſarem miſit, quocum de S. Sedis avertendo dedecore, reſtituendaque ſibi libertate ageret. In Italiam rediens non in curribus, & equis, ſed pedibus, & baculo uſus, uti S. Franciſci diſcipulum decebat, Summo Pontifici liberationis ſuae, optataeque pacis nuncius advenit. Mox vero eodem remittitur pro militibus ex Urbe pellendis, qui ducum imperium contemnentes, a praeda non deſiſtebant. Confectis proſpere rebus, reverſus in praemium bene navatae operae Purpura decoratur. Tertio ad Carolum Legatus decernitur pro repetendis oppidis, & civitatibus Eccleſiaſticae ditionis, quibus obtentis redux publice pro Conſiſtorio laudatur. A Paulo III. quarta Legatione ad Caeſarem in Germania tum agentem cohoneſtatus, dum iter eo apparat, mors vitae, piiſque operibus finem imponit, famamque auget minime dubiae Sanctitatis.

Digitized by Google

MERCURIUS ARBOREUS DE GATTINARIA
PEDEMONTANUS

A CLEMENTE VII. ANNO MDXXIX. CR. PR. CARD.

TIT. S. JOANNIS ANTE PORTAM LATINAM.

OBIIT APUD VINDELICOS OENIPONTI 5. JULII 1553.

Accedente ad eximium ingenium maximo labore I. C. evaſit ſuo ſeculo facile princeps, quem a conſiliis adhibere Philibertus Sabaudiae Dux ſibi aeque utile, atque honorificum exiſtimavit. Maximiliani I. ad Ludovicum XII. Francorum Regem Legatus, pacem inter eos mira dexteritate firmavit. Caroli V. Imperatoris a ſecretis, & a conſiliis, ſupremi etiam Cancellarii munus homo Italus, & exterus annos XII. ſumma cum alienigenarum aeſtimatione, & benevolentia obivit. Nihil arduum, nihil difficile abſque maturo Mercurii conſilio ſuſceptum eſt. Carolum in Romanorum Regem electum, ut a Clemente VII. Imperii Coronam Bononiae ſuſciperet, ſua hortatione promovit. Hinc hujus precibus a Pontifice Purpura donatus eſt. Quanta prudentia, & aequitate in ampliſſimis muneribus ſe geſſerit, argumento eſt gratia aeque apud alios Principes, atque apud Caeſarem ipſum perpetuo conſervata. Duo Monaſteria fundavit in patria ſua, alterum Canonicis Regularibus, alterum Virginibus Sanctae Clarae, aliaque pia Legata inſtituit. Plura meditantem pro Catholica Fide ab haereticis, Turciſque protegenda mors religioſiſſimum Antiſtitem intercepit. Gattinariam oppidum, quo cadaver ejus illatum eſt, quaſi a fundamentis reſtauravit, ac moenibus, & foſſis ad inſtar arcis circumduxit.

FRANCISCUS JUSTUS TURNONIUS GALLUS

ARCHIEPISCOPUS BITURICEN.

A CLEMENTE VII. ANNO MDXXX. CR. PR. CARD. TIT. SS. PETRI, ET MARCELLINI,

DEINDE EPISCOPUS OSTIEN.

OBIIT APUD S. GERMANUM PROPE PARISIOS 22. APRILIS 1562.

CLarus genere, & optimae indolis puer inter Canonicos Regulares S. Antonii Viennenſis educatus, eorum inſtitutum profeſſus eſt. Adhuc adoleſcens primarias in Ordine ſuo dignitates, moxque Eccleſiam Ebrodunenſem, hinc Bituricen. deinde Lugdunen. conſequutus eſt. Rogante Franciſco I. Rege, qui eum a conſiliis adſciverat, Clemens VII. Cardinalem creavit. Legationes duas obivit in Hiſpania, alteram qua Regem Matriti detentum, alteram qua filios ejus obſides liberavit. Quatuor Galliae Regibus difficillimis temporibus tuendis Regno & Religioni operam praeſtitit efficaciſſimam. Lutheranam haereſim ſenſim in Galliam prolabentem Turnonius ſibi in primis reprimendam ſtatuit. Itaque cum literarum nomine, quas Franciſco Regi in pretio eſſe notum erat, plurimi in Regnum irreperent, quorum haud ſatis ſincera eſſet erga Religionem fides, effecit, ut inter alios Philippus Melanſton Regiis literis in Galliam advocatus potiſſimum de Fidei controverſiis cum Theologis Pariſienſibus collaturus, a Regni finibus arceretur, jubente Rege ipſo, quem Turnonius prolato S. Irenaei ſui in Sede Lugdunenſi praedeceſſoris documento admonuit: Nullum Catholicis commercium, aut colloquium eſſe debere cum haereticis. In colloquio Poſſiniacenſi Bezae audaciam fregit, lueque calviniſtica regnum purgare omni arte procuravit. Graviſſimos bellorum aeſtus ſaepe compeſcuit, diffidenteſque & Pontificum, & Principum animos prudentiſſime conciliavit. Adeo literarum ſtudia amavit, ut inter infinita prope negocia de iis cogitaret, & ageret, perpetuumque comitem ſibi eſſe vellet aut Lambinum, aut Muretum, aut aliquem e coetu doctorum hominum. In Caſtro Turnonio magnificum Collegium aedificavit, cujus curam PP. Soc. J. commiſit, quodque non minus eſſe voluit contra haereſes, quam contra ignorantiam propugnaculum. Commemoratis tanti viri virtutibus teſtatus eſt Cardinalis Sadoletus, plus ſplendoris Turnonium honoribus, quam honores Turnonio attuliſſe.

ALEXANDER FARNESIUS ROMANUS

A PAULO III. ANNO MDXXXIV. CR. DIAC. CARD.
TIT. SANCTI ANGELI,

DEINDE EPISCOPUS OSTIENSIS.

OBIIT ROMAE 2. MARTII 1589.

Adoleſcens magna ingenii, virtutiſque commendatione dignus eſt habitus, cui honor Purpurae committeretur; conceptam autem animis omnium ſpem veris virtutibus exaequavit. Vix annos viginti egreſſus, ſummas Legationes pro conciliandis Carolo V. Caeſare, ac Franciſco I. Galliae Rege obivit. Quanta illius fuerit auctoritas, & in rebus gerendis dexteritas hae, aliaeque graviſſimae Legationes teſtantur. In acri illo contra Proteſtantes in Germania bello, cum Octavio fratre Italicae militiae Duce Legatus in auxilium Caeſaris venit. Rerum publicarum molem Paulo Pontifice ſuſtinuit, unde illi & auctoritas, & opes acceſſere, ac magnitudinem a Paulo in familia ſua fundatam ſumma prudentia in explicandis juribus tutatus eſt. Plures, eaſque nobiliſſimas Eccleſias rexit ſapienter, & incorrupte. Pulcherrimam & magnitudine, ac rara fabricae elegantia ſpectandam Caprarolae arcem triginta ab Urbe milliaribus extruxit; deinde ad pietatis exercitia inclinata aetate verſus, ſacras Aedes ſibi commendatas aedificavit, inſtauravit, ornavit. Magnificum Templum Jeſu Chriſto dicatum in Urbe erexit, & Societatis cognominis Patribus attribuit. Omnibus, qui opem ſuam imploraſſent, benefacere ſtuduit, & effuſa in pauperes ejus liberalitas adhuc praedicatur. Literatorum & praeſtantium Artificum fautor eximius, aedes ſuas doctrinae, & ſapientiae ſedes, ac domicilium eſſe voluit. In viris Eccleſiaſticis doctrinam requirebat, ſaepe dictitans: *Ut ignaro milite nihil inutilius, ſic Clerico indocto nihil eſt turpius*. Praeclare de illo Carolus V. prudentiſſimus Imperator dixit: *Collegium Cardinalium ſi ex talibus viris conſtaret, Senatus ſimilis nuſquam gentium reperiretur*. E vita migravit magno Chriſtianae Reipublicae, Urbiſque moerore, ejuſque corpus in Templum Jeſu delatum, honeſtatum eſt magnificentiſſimo funere, habita oratione a Petro Magno, digna mortuo, digna eloquenti oratore.

NICOLAUS SCHOMBERGIUS SUEVUS

ORDINIS FRATRUM PRAEDICATORUM

ARCHIEPISCOPUS CAPUANUS

A PAULO III. ANNO MDXXXV. CR. PR. CARDINALIS

TIT. SANCTI SIXTI,

OBIIT ROMAE 9. SEPTEMBRIS 1537.

NObilem genere nobiliorem virtus reddidit. Ordinem Praedicatorum ingreſſus Florentiae, in S. Marci Coenobio ſub diſciplina Hieronymi Savonarolae profeſſus eſt. Mira in eo fuit cum humanarum, tum divinarum rerum cognitio. Pro docte confutatis Lutheri erroribus, multiſque pro Eccleſia toleratis laboribus eum Archiepiſcopatu Capuano Leo X. remuneratur. Nuncii Apoſtolici munere cum in Hiſpania, tum in Hungaria ſumma cum laude perfunctus eſt. Eumdem Clemens VII., cui fidiſſimus cum in proſperis, tum in adverſis comes fuit, ad Franciſcum Regem pro pace cum Caeſare concilianda ablegavit, ſuaque dexteritate, & in rebus gerendis prudentia in Cameracenſi Conventu concordiam tandem inter eos Principes ſummo Reipublicae Chriſtianae bono compoſuit, ac firmavit. Romam reverſus cum pietatis, & doctrinae laude maxime clareſceret, Clemente mortuo omnium fere Ordinum deſiderio, ac voce ad Pontificatum poſcebatur; quod & contigit in Comitiis, in quibus Hadrianus VI. creatus eſt, quamquam in utroque Conclavi non eſſet adhuc Purpura inſignitus. Hinc Paulus ſtatim, atque ſummam rerum adeptus eſt, cum optimi Viri virtutes, & merita explorata haberet, illum inter primos ad Cardinalatum evexit: qua in dignitate conſtitutus, nihil de Regulari diſciplina remittens, Purpuratis Patribus, quoad vixit, ornamento fuit. & exemplo. Requieſcit humili loco ad fores S. Mariae ſupra Minervam.

Digitized by Google

V. JOANNES FISCHERIUS ANGLUS
EPISCOPUS ROFFENSIS

A PAULO III. ANNO MDXXXV. CR. PR. CARDINALIS
TIT. SANCTI VITALIS.

OBIIT LONDINI 22. JUNII 1535.

RELigione, conſtantia, & alta, reconditaque doctrina fuit antiquis Patribus comparandus. Gliſcentem in Anglia Lutheranam haereſim, qua concionibus, qua eruditiſſimis libris confutavit, ac repreſſit, ejuſque opus fuiſſe creditur Commentarius de ſeptem Sacramentis adverſus Lutherum, Henrici VIII. Regis nomine inſcriptus. Huic ex iniquo repudio inauſpicatas nuptias affectanti cum parere recuſaret Fiſcherius, & pro Eccleſiae libertate propugnans Romani Pontificis auctoritatem calamo, & voce fortiter aſſereret, in arctum carcerem conjectus eſt. Paulus dum in vinculis detinetur, Cardinalem creat, cum ut dignum Fidei, & conſtantiae ejus praemium daret, tum quod ſperaret Epiſcopalem dignitatem acceſſione ſacrae Purpurae cumulatam, ad ſalutem, & liberationem ejus plurimum eſſe valituram. Sed nihil res ſacrae valent apud adulteros, & haereticos. Jubet Henricus medio in foro Roffenſi caput abſcindi: ne, inquit, caput habeat, cui pileus imponatur. Paſſus eſt ſanctiſſimus Cardinalis imitatus conſtantiam, & alacritatem antiquorum Martyrum, objecta ſecure, vultu minime immutato, nec turbata animi tranquillitate. Extant ejus ingenii, ac doctrinae monumenta: reliqua in carcere ab eo ſcripta, quod cauſae regiae iniquitatem luce clarius demonſtrarent, Henricus abolevit. Cardinalis Hoſius, ut evinceret Deum nullo unquam tempore defuiſſe Eccleſiae ſuae, infelici hoc ſeculo inter alios deſignat primum Joannem Cardinalem Roffenſem, qui pro Fide, & Eccleſia Catholica ſanguinem profundere non dubitavit.

GASPAR CONTARENUS VENETUS

A PAULO III. ANNO MDXXXV. CR. DIAC. CARD.

TIT. S. MARIAE IN AQUIRO.

OBIIT BONONIAE 1. SEPTEMBRIS 1544.

PAtritio Ordine natus vitae integritate, ſumma doctrina, linguarum plurium cognitione, corporis, & animi dotibus ornatiſſimus, ad Rempublicam Patrum ſuffragio expetitus ita acceſſit, ut in florenti aetate, gravitate judicii praeſtantiſſimis Senatoribus aequaretur. Hinc ei protinus commiſſa ſunt maximarum Legationum munera: nunc ad Carolum Caeſarem, nunc ad Galliae Regem, moxque ad alios Principes, ac Reſpublicas ad pacem componendam. Si alicubi minus obtinuit, quod flagitabat, obtinuit ſane ubique laudem ſingularis ſapientiae, & virtutis. Orta in Senatu quaeſtione de Pontificis Maximi poteſtate, Contarenus duos libros compoſuit, quibus Cives ſuos docet, divinitus eam ſtatutam eſſe, nec humanis niti juribus, aut conſiliis. Paulus cognitione hominum nulli ſecundus Contarenum nihil tale cogitantem in Sacrum Cardinalium Collegium legit, & Legationem Germanicam, poſtulante Carolo V. Caeſare, ad reprimendam Proteſtantium audaciam eidem decrevit. Res ad pacem prope adduxerat Contarenus in Conventu Ratiſponenſi, conciliatis ſibi Germanorum animis humanitate ſua, doctrina, minimeque fucata eloquentia, cum duo turbaverunt omnia: invidorum calumniae, & eruptio Turcarum in Hungariam. Revertitur in Italiam, Bononiaeque Legationi praeficitur. In ea cum totus Provinciae bene adminiſtrandae incumberet, iterum Legatus ad Caeſarem decernitur pro eo cum Rege Galliae reconciliando; ſed ejus mors ſapiens Pontificis conſilium intercepit, Bononiamque magno dolore affecit. Dixit in ejus funere Romulus Amaſaeus, cui in tanto Cardinali nulla laudis argumenta defuerunt. Plura edidit luculentiſſima ſapientiae monumenta. Paulus audita Contareni morte non ſine lacrimis, atque ſuſpiriis, Virum magnum amiſimus, inquit, & Reipublicae valde utilem. Sed & hoc, ut alia, conſtanti animo ferenda.

Digitized by Google

MARINUS CARACCIOLUS NEAPOLITANUS

A PAULO III. ANNO MDXXXV. CR. DIAC. CARD.

TIT. SANCTAE MARIAE IN AQUIRO.

OBIIT MEDIOLANI 28. JANUARII 1538.

VIrtutum, ac literarum cultor eximius Leone X. Pontifice in Curia Romana verſatus, & ab ipſo renunciatus Protonotarius Apoſtolicus Maximiliani, & Franciſci Sfortiae Mediolanenſium Ducum ad Pontificem Orator, Lateranenſi Concilio interfuit. Sedis Apoſtolicae Nuntius in Germaniam ablegatus, Vormatiae in conventu contra Lutherum celebrato, praeſente Carolo V. ſummis laboribus cum Hieronymo Aleandro perfecit, ut haereſiarchae ſcripta igni damnarentur. Ejus opera pluribus in Legationibus uſus eſt feliciter Caeſar, ad Rempublicam Venetam, ad Henricum Angliae Regem, & ad Franciſcum Sfortiam. Illius commendatione in Sacrum Collegium adlectus, a Paulo III. ad eumdem mittitur, pro pace inter ipſum, & Franciſcum I. Galliae Regem componenda. Defuncto per id tempus Franciſco Sfortia, Provinciam Mediolanenſem ſibi creditam ſumma integritate rexit. Ingenii dexteritate, & accomodatis ad tempus officiis ſibi Principum animos maxime conciliavit. Repentino morbo ereptus Vir tantus non Inſubriam ſolum, ſed totam Italiam magno dolore, magna jactura affecit.

Digitized by Google

E N N I U S   P H I L O N A R D U S

IN HERNICIS NATUS

EPISCOPUS VERULANUS.

A PAULO III. AN. MDXXXVI. CR. PR. CARDINALIS

TIT. S. ANGELI,

DEINDE EPISCOPUS ALBANEN.

OBIIT ROMAE 19. DECEMBRIS 1549.

OB praeclariſſimum ingenium, ſingularemque in rebus gerendis dexteritatem in Maximorum Pontificum gratiam receptus eſt, & ab eiſdem ad Provincias, ad Principes, & ad Nationes miſſus, invicto animo auctoritatem Sedis Apoſtolicae ſumma cum Reipublice utilitate ubique conſervavit. A Julio II. Bononiae Prolegatus, ac Fori Cornelii Gubernator, Pontificiae Auctoritatis Defenſor appellari meruit. Sedentibus Leone X., Hadriano VI., & Clemente VII. apud Helvetios Nuntius, ad defendendam Eccleſiaſticam ditionem, gentem eam Romano ſœdere conjunxit. A Paulo III. Arci Hadriani Praefectus, paulo poſt in Cardinalium numerum S. P. Q. R., ac tutius Italiae plauſu, ac laetitia relatus eſt. In Eccleſiaſtico exercitu ad bellum Camerinenſe contra Urbini Ducem fauſtam Legationem, inde alteram pari felicitate in Gallia Ciſpadana obivit. Ad Urbem reverſus ita famam nominis tui probitate, ac ſapientia confimavit, ut vita functo Paulo III., dignus, qui ei ſuccederet, ab omnibus bonis judicaretur. At mors, quæ eum tempore ipſo Conclavis eripuit, humana conſilia intervertit. Aegrotus enim ex eo conventu in arcem, quam ſervaverat, illatus, ibi pie obivit pluſquam octogenarius. Verulanam Eccleſiam, & Pontificias aedes magnis ſumtibus refecit, & ornavit. In patria ſua Baucis requieſcit.

Digitized by Google

JACOBUS SADOLETUS MUTINENSIS

EPISCOPUS CARPENTORACTEN.

A PAULO III. AN. MDXXXVI. CR. PR. CARDINALIS

TIT. S. CALLISTI.

OBIIT ROMAE 18. OCTOBRIS 1547.

Viri hujus aeque literis, ac virtutibus cultiſſimi, conſilio & opera Leo X. in conſcribendis Epiſtolis, & Clemens VII. in adminiſtranda difficillimis temporibus Chriſtiana Republica uſi ſunt. Paulus III. cum pro condendis legibus ad reſtituendam Cleri diſciplinam, ſanctioremque gerendi Pontificatus rationem ineundam accerſeret undique quos doctrinae, integritatis, & prudentiae maximam opinionem habere intelligeret, Sadoletum Carpentoractenſem Epiſcopum Romam evocavit, ut ejus potiſſimum ſententia quaecumque aut ſtatuenda, aut antiquanda eſſent, niterentur. In R. E. Senatum ſumma bonorum, ac literatorum omnium comprobatione delectus, nullum in ea dignitate praeter Reipublicae commodum, & Sedis Apoſtolicae Majeſtatem propoſitum unquam habuit. Hinc ſententiam ſuam ea, qua decuit libertate, ac conſtantia, nullius unquam humanae rei ratione reticuit. Legatus ad Franciſcum Galliae Regem, animum ejus viribus ſuis fidentiſſimum, ad pacem cum Carolo V. ineundam flexit. Vir religioſiſſimus, tantoque in Sedem Apoſtolicam ſtudio incenſus, ut conſtans ſenſus fuerit auctorum ejus vitae, qui eum penitus nôrunt: plus illum doloris ſemper ex malis communibus, contraque ex publicis commodis plus gaudii hauſiſſe, quam ex rebus ſuis vel ſecundis, vel advetſis. Claris ingenii monumentis, dignis perſona, quam ſuſtinebat, cum iis, quos mirata eſt antiquitas comparandis, Italiam, Galliam, atque adeo omnem poſteritatem illuſtravit. Sepultus eſt in Titulo Eudoxiae.

RODULPHUS PIUS PRINCEPS CARPENSIS

EPISCOPUS FAVENTINUS

A PAULO III. AN. MDXXXVI. CR. PR. CARD.

TIT. SANCTAE PUDENTIANAE,

DEINDE EPISCOPUS OSTIEN.

OBIIT ROMAE 10. JULII 1564.

QUamvis in praeclara familia natu major Deo a puero ſe devovit, ac multa virtutis ab ineunte aetate praeſtitit argumenta. Emenſis Patavii Philoſophiae, ac Theologiae ſtudiis ſumma integritatis ſama, a Clemente VII. Faventinae Eccleſiae praeficitur. Duas in Gallia Legationes ſapientiſſime obivit, in quarum ſecunda in Cardinalium numerum relatus eſt. Tanta ſemper moderatione, ac prudentia floruit, ut Franciſco Regi cariſſimus, non propterea minus Carolo Caeſari carus fuerit: ad quem ſemel, atque iterum ablegatus fuit, ac tertio ad ſopiendum Parmenſe bellum, quo tota ſere Italia concitabatur. Abſente Pontifice Urbis Praefecturam, & Latii Legationem geſſit. Bis Picentibus jus dixit, & Anconae portum propugnaculis munivit. A Carolo V. omnium Regnorum ſuorum Protector electus eſt, & maxima Principum gratia hanc provinciam adminiſtravit. Eccleſiam Scotiae miſere laborantem paterno animo tutandam, curandamque ſuſcepit. Nullum fuit in Romana Curia munus, quod laudabiliter non geſſerit: ut merito Pius IV. ejus morte Romanam Eccleſiam, & Vaticani Senatum gravi damno affectum palam profiteretur. S. Pius V. Rodulpho olim S. Officii in cuſtodia Catholicae veritatis conſorti ſuo, & perpetuis de Chriſtiana Republica ſenſibus, ſtudiiſque ſibi conjunctiſſimo, marmoreum ſepulchrum in Templo Sanctiſſimae Trinitatis apud Montem Pincium erexit, amoris, & judicii de eo ſui perenne monumentum.

HIERONYMUS ALEANDER

MOTTAE IN CARNIA NATUS

ARCHIEPISCOPUS BRUNDUSINUS

A PAULO III. ANNO MDXXXVI. CR. PR. CARDINALIS

TIT. S. CHRYSOGONI.

OBIIT ROMAE 1. FEBRUARII 1542.

DIſciplinis omnibus ornatus, & Hebraica, Graeca, Latina, necnon aliis linguis exoticis inſtructus, Lutetiae Pariſiorum docendo honorem Praefecturae in Academia a Ludovico XII. eſt conſecutus. Leo X. alter graviſſimus ingeniorum aeſtimator, eum Bibliothecae Vaticanae praefecit, quod munus tametſi abſens in Legationibus, quibus pro Eccleſia functus eſt, praeter morem retinuit. Nuntium miſit in Germaniam, ut Lutherum ad bonam frugem revocaret; ſed omnem Aleandri operam eluſit perverſitas haereſiarchae. Brunduſinae Eccleſiae a Clemente VII. praepoſitus, ac variis deinde Legationibus in Gallia, Germania, & ad Venetos praeclare obitis, Cardinalibus adſcriptus eſt, moxque Legatus ad Synodum a Paulo III. Vicentiae indictam, cum Cardinalibus Campegio, & Simonetta inſtituitur. Ea in aliud tempus dilata, iterum in Germaniam ad Ferdinandum Romanorum Regem ablegatur, ut ejus celebrationem maturaret, curandamque haereticorum ſalutem reciperet. Quamvis autem cum vertiginoſis Lutheranorum ingeniis nihil ſe profecturum ſperaret, Pontificiis mandatis obſecutus eſt. Romam reverſus cum ceteris egregie ab ſe ſcriptis aliud addere meditaretur de Concilio habendo, ac perficiendo, morte praereptus eſt. Inſigni fuit in egenos, & doctos viros liberalitate, quamquam rei familiaris anguſtia non modice laboraret. Opes ſiquidem contemſit, & repudiavit, haecque in teſtamento ejus verba leguntur aureis literis digniſſima: *Nunquam in Legationibus meis munus accepi*. Tumulatus eſt in Aede Tranſtyberina S. Chryſogono dedicata, ea teſtamenti lege, ut ſepulchrum ſequenti diſticho de ſe edito cum reliquis Titulis inſcriberetur, quo novas clades imminere ominatus eſt.

Κάτθανον οὐκ ἀέκων, ὅτι παύσομαι ὢν ἐπιμάρτυς
Πολλῶν, ὧνπερ ἰδεῖν ἄλγιον ἦν θανάτου.

Quod eſt:

Exceſsi e vitae aerumnis faciliſque, lubenſque,
Ne pejora ipſa morte dehinc videam.

REGINALDUS POLUS ANGLUS

A PAULO III. ANNO MDXXXVI. CR. DIAC. CARD.
TIT. SS. NEREI, ET ACHILLEI,

DEINDE PR. CARD. TIT. S. MARIAE IN COSMEDIN.

OBIIT LONDINI 17. NOVEMBRIS 1558.

REgio Angliae ſanguine, doctrina, & pietate clariſſimus, Henrico Regi divortium a Catharina uxore meditanti invicte obſtitit, eique, ut ſe alliceret, Cantuarienſem Inſulam deſignanti, reſpondere non dubitavit: Nolle ſe cum gravata crimine conſcientia in conſilium impiorum abire, nec cum ſalutis diſpendio lubricam Regis gratiam mereri. Ei inſcripſit libros quatuor pro Eccleſiaſticae unitatis defenſione. Tantus vir dum exul a patria Patavii in ſacrarum literarum ſtudio conquieſceret, a Paulo III. cum aliis praeſtantiſsimis viris Romam evocatus eſt, ut ejus opera, & conſilio ratio iniretur conſulendi afflictae undique Eccleſiae, legeſque ſtatuendi opportunas Reipublicae, & Religioni. Purpurae ei collatae accepto nuntio exarſit ira Henricus, caputque ejus magno pretio addixit, & ejus matrem ſanctiſſimam foeminam, fratrem, filiumque ejus necari juſſit, Martyrum loco non immerito habitos; quod ut accepit Polus, non ſolum aequo animo tulit, ſed Deum enixe rogavit, ut ſe coronae eorum participem efficeret. Indicto Concilio Tridentino primus Praeſes adlegitur, cujus vita norma eſſe poſſet ſtatuendarum legum. Praeter multas Legationes, in quibus peragendis nihil unquam de ſua remiſit conſtantia, & integritate, unam obivit, eamque poſtremam in Anglia, renuntiatus Archiepiſcopus Cantuarienſis, & Mariae Reginae adjutor in reſtituenda Religione. Quo in munere nulli labori, nulli ſumtui pepercit, quamquam agitatus invidiae tempeſtate, & a Catholicis ipſis non mediocriter afflictus, ac vexatus. Audita morte Mariae, & ipſe jam aegrotus aucto inde dolore obiit, maximo Angliae damno, cui ſe ejuſmodi funeribus valde iratum Deus proculdubio manifeſtavit. Corpus Cantuariam delatum in Sacello S. Thomae conditum eſt; hoc tantum brevi, & nudo adſcripto titulo: *Depoſitum Card. Poli*. Quo quantum a ſeculi faſtu Vir defenſae Religionis merito ſpectatiſsimus abhorruerit, ſatis declaravit.

Digitized by Google

DAVID BETTONIUS SCOTUS

ARCHIEPISCOPUS S. ANDREAE

A PAULO III. ANNO MDXXXVIII. CR. PR. CARD.

TIT. S. STEPHANI IN MONTE COELIO.

OBIIT IN ARCE SANCTI ANDREAE 29. MAJI 1547.

SCotiae Regibus propinquus in Academia Pariſienſi dignos magno ingenio fructus tulit. Franciſco Galliae, & Jacobo Scotiae Regibus carus, ab altero Mirapicenſis Epiſcopus, ab altero S. Andreae Archiepiſcopus nominatus eſt. Jacobi Legatus ad Franciſcum, negocia omnia pro utriuſque Regis voluntate perfecit. Utriuſque pariter precibus in Cardinalium numerum relatus eſt, praefectuſque in Scotia Legatus Apoſtolicus contra haereſes undique Regno inſidiantes. Nulla in re Scoticae Eccleſiae defuit, nunc ludibria paſſus, nunc carceres. Mortuo Jacobo, tota Religionis moles, educandaeque Mariae Stuartae Jacobi filiae cura unius Bettonii humeris incubuit. Pugnavit fortiter, quandiu potuit, cum externo hoſte Henrico VIII., cumque domeſticis Proceribus, quos haereſis infecerat: qui cum animadverterent eo vivo nihil ſibi, vel parum in Scotia ſperandum, e medio eum tollere ſtatuerunt. Imitati facinus olim admiſſum in S.Thomam Cantuarienſem, quindecim ſicarii Sanctiſſimum Praeſulem aggrediuntur, multiſque vulneribus confodiunt. Sanguis effuſus, qui eradi non potuit graviſſimorum virorum teſtimonio, & ultio, quae parricidas brevi conſequuta eſt, Bettonium dignum fuiſſe ſignificaverunt, qui Martyrum numero, faſtiſque adſcriberetur.



HYPPOLITUS ESTENSIS

A PAULO III. ANNO MDXXXVIII. CR. DIAC. CARD.

TIT. S. MARIAE IN AQUIRO,

DEINDE PR. CARD. TIT. S. MARIAE NOVAE.

OBIIT ROMAE 2. DECEMRIS 1572.

ALphonſi I. Ferrariae Ducis ex Lucretia Borgia genitus, maximis negotiis a prima adoleſcentia apud Gallos innutritus, & propter arctam Herculis fratris cum Franciſco I. affinitatem, etiam ad intima ejus conſilia admiſſus, ac opimis Sacerdotiis donatus, ejuſdem Regis commendatione a Paulo III. in Cardinalium Collegium cooptatus eſt. Mediolanenſi Eccleſiae, Novarienſi, & Ferrarienſi praefuit, ac Lugdunenſem adminiſtravit, aliaſque inſignes Galliae Eccleſias. Obivit quoque Legationem ad Regem Romanorum pro pace concilianda, & alteram ſedente Pio IV. longe maximi momenti in Gallia, Rege Carolo IX., pro coercenda haereſi, & magnas in utraque, veraſque laudes promeruit. Reverſus patrocinium rerum Gallicarum Romae ſuſcepit. Eximius, ac prope ſingularis fuit artium omnium, & eruditorum Patronus, vir alto, magnificoque ingenio; quod inter alia aedificia teſtatur Eſtenſis villa ab eo Tybure extructa, quae priſci ſplendoris monumenta facile aemulata eſt. Muretus orationem habuit in ejus funere, quod veris lacrimis docti omnes, miſerique ab eo plurimum ſublevati proſequuti ſunt. Demortui corpus Tybur translatum in Templo S. Franciſci conditum eſt.

P E T R U S   B E M B U S   V E N E T U S

A PAULO III. ANNO MDXXXVIII. CR. DIAC. CARD.
TIT. SANCTI CYRIACI IN THERMIS,

DEINDE PR. CARD. TIT. S. CLEMENTIS.

OBIIT ROMAE 18. JANUARII 1547.

PAtricia Familia natus, ſummoque ingenio ornatus Republica abſtinuit, ut ſe totum in literarum ſtudiis abſconderet. Et quidem ita in iis profecit, ut libri ab eo compoſiti Auguſti aetate ſcripti eſſe videantur; adeo elegantes ſunt, nitidi, puri, latini. A Leone X. adſcitus eſt ab Epiſtolis, quarum libri ſexdecim non minus Bembi nomen, quam Leonis illuſtrant. Eum Leo non adhibuit ſolum ſcribendis, ſed & agendis rebus magnis apud Rempublicam Venetam, in quibus parem doctrinae ſuae prudentiam manifeſtavit. Leone e vivis erepto liber Bembus Patavium ad priſtina ſua ſtudia ſe recepit. Paulus cum viros, qui ubique terrarum inſigni aliqua aut pietatis, aut prudentiae, aut doctrinae laude florerent, in Cardinalium Collegium nec opinantes referre ſtatuiſſet, occurrit animo inter primos Bembus, quem ab illo ſeceſſu ſuo evocatum in Romana quoque Purpura mundo ſpectandum exhiberet. Diu fluctuavit animo Bembus, utrum id honoris acciperet: verum & ſuorum ſuaſionibus, & claris pene divinae voluntatis ſignis tandem acquievit. In Urbem itaque ſubtriſtis perrexit, cum rurſus ex otio, & ſolitudine in eam turbam, moleſtiamque ſenex raperetur, a qua vix dum inclinata aetate ſeſe tandem cupidiſsime vindicâſſet. Ut olim Roma Ciceronem, ita Bembum revertentem excepit. Fama doctrinae, & probitatis Paulo ſucceſſorem praedicabat, ſed moriens praeceſsit Paulum, qui eum ſingulari benevolentia proſequutus eſt. Cardinalem Bembum cum ſua, tum aliorum authorum monumenta ſatis commendant. Obiit pene octogenarius, & ſepultus eſt in Templo S. Mariae ſupra Minervam.

FRIDERICUS FREGOSIUS JANUEN.

EPISCOPUS EUGUBINUS

A PAULO III. ANNO MDXXXIX. CR. PR. CARD.
TIT. SS. JOANNIS, ET PAULI.

OBIIT EUGUBII 22. JULII 1541.

PAtriam ſuam cum Octaviano fratre pro Franciſco I. Galliae Rege rexit. Urbis quieti, ac tutelae invigilans, piratas claſſe inſequens trajecit in Africam. Oppida aliquot vi cepit, hoſtes profligavit, rediitque in patriam more triumphantium. Commutatis Italiae rebus, contulit ſe in Galliam, fuitque magno in honore apud Regem. In Italiam reverſus, divino quodam monitu excitatus, faſtui, ambitioni, civilibuſque negociis nuntium miſit, ſeque divino cultui, ſacrarum literarum ſtudiis, & rerum Caeleſtium contemplationi totum addixit, atque Eugubium ad commiſſum ſibi a Julio II. gregem conceſſit. Cum domi ſanctis operibus perpetuo vacaret, & foris gloria nominis magis in dies creſceret, a Paulo III. inter S. R. E. Cardinales cooptatus eſt. Quem honorem adeo recuſavit, ut niſi coactus Pontificis imperio, interjectiſque minis non acceperit. Romam cum adveniſſet, offendiſſetque nonnulla, quae ſibi minus placerent, nec libertatem ſuam in dicenda ſententia probari animadverteret, relicta Aula ad Eccleſiam ſuam regreſſus eſt, in qua anteactae vitae curſum digno exitu concluſit. Homiliam habuit in ejus funere Cardinalis Sadoletus, quo teſte, vir fuit Fregoſius multiplici eruditione, & virtute praeſtans, & is, cui pares perpaucos aetas ea, quamquam magnis viris foecundiſſima, adſpexit.

PETRUS DE BALMA GALLUS

EPISCOPUS GEBENNENSIS, ET COADJUTOR BISUNTINUS

A PAULO III. AN. MDXXXIX. CR. PR. CARDINALIS

TIT. SS. JOANNIS, ET PAULI.

OBIIT ARBOSII IN SEQUANIS 4. MAJI 1544.

GEneris claritatem animi, corporiſque dotibus aequavit. Clero adſcriptus viam ſibi literarum ſtudio, & vitae integritate aperuit ad Eccleſiae dignitates. Canonicus primum Lugdunen., & Abbas S. Claudii, mox Epiſcopus Gebennenſis, deinde ex Coadjutore Archiepiſcopus Biſuntinus, poſtremo Cardinalis a Paulo III. renunciatus eſt. Par tot muneribus virtutem ſuam, & praecipue in Epiſcopatu Gebennenſi teſtatus eſt exemplis luculentis. Genevam ex vicinis oppidis ſubrepſerat Calviniana haereſis: malo feſtine occurrit Petrus nitens omnibus artibus: ſed quum afflata propius a Calvino peſtifera lues remedium omne vinceret, coactus eſt excutere pulverem de pedibus ſuis ſuper civitatem, & declinatis inſidiis evaſit in ſuum S. Claudii Monaſterium, ex quo ſummiſſa ad ſuos omni ope Catholicam Fidem ſartam tectam cuſtodire perpetuo ſategit. Elapſo inter haec quinquennio, Genevam repetit contemtis omnibus periculis: indicit concionem, ac ſupplicationem: concurrit Urbs pene univerſa. Circumfuſam Senatus, populique multitudinem alloquens Petrus e ſuggeſtu; Num me, inquit, Paſtorem veſtrum agnoſcitis? Quibus una voce ſe eum agnoſcere profitentibus: Vivite igitur concordes, ſubdidit, & ſtate in antiqua Fide vobis ab Apoſtolis, & eorum Succeſſoribus nunciata. His adeo commoti ſunt Cives, ut e veſtigio haereticos nonnullos in cuſtodiam traherent. Elapſi ex iis clam convenientes de nece Epiſcopi deliberant. Noctu domum ejus armati aggrediuntur: evadit ſecundo ſoſpes Epiſcopus, pronunciato in infelicem Urbem anathemate, quod in hanc uſque diem perſeverat. Biſuntinam inde Eccleſiam adminiſtravit, & ab haereſi ſervavit cum per ſe ipſe, tum per Claudium nepotem ſuum ex fratre, quem zeli ſui heredem, & ſucceſſorem in Archiepiſcopatu, & Cardinalatu reliquit. His enim praecipue duobus egregiis Viris debent Sequani puritatem Fidei ſuae, quae, valde contaminatis vicinis regionibus, nullam unquam maculam paſſa eſt.

MARCELLUS CERVINUS POLITIANUS

EPISCOPUS NEOCASTREN.

A PAULO III. AN. MDXXXIX. CR. PR. CARDINALIS TIT. S. CRUCIS IN HIERUSALEM,

QUI POSTEA MARCELLUS II.

OBIIT 30. APRILIS 1555.

VIr ſacra doctrina, & ſanctimonia, primitiva Eccleſia, quam corrupto ſeculo ſuo dignior a Paulo III. adoleſcentiae Alexandri Farneſii recens creati Cardinalis veluti tutelaris Angelus praeficitur. Nuntius ad Carolum V., & ad Franciſcum I. miſſus abſens ad Purpurae honorem vocatur. Indicto Concilio Tridentino electus eſt, ut cum duobus praeſtantiſſimis Viris, Cardinalibus de Monte, & Polo praeeſſet; ubi ejus virtus, & conſtantia in Pontificia poteſtate, & Eccleſiaſtica libertate tuenda prae aliis enituit; nec Principum indignatione a propoſito, aut officio receſſit. Julio III. propinquos ſuos extollere meditanti reverenter aeque, atque conſtanter reſtitit. Pontifex mirabili conſenſione renunciatus, Hadriani VI. exemplo nomen ſuum Marcelli retinuit, ejus nuncupationis Secundi, cum ut Sancti Marcelli Primi, Pontificis, & Martyris memoriam renovaret, tum praecipue ut eo conſilio teſtatum omnibus ſaceret, ſe per ſummam inter mortales Dignitatem mutatum non iri, nec honores quicquam ſibi de priſtina moderatione, & humanitate detracturos. Cum totus eſſet in excogitandis rationibus, quibus Eccleſiam ab haereſibus, & vitiis, Rempublicam a diſſenſionibus, Romanam Curiam a ſuperfluis ſumtibus, & pompis expurgaret, vigeſimo ſecundo Pontificatus die e vivis ereptus eſt, inſcrutabili Dei judicio, qui ſorte docere voluit, opera ea non hominum eſſe, ſed Divinae Virtutis. De Marcello II. vera ejus cum laude dictum, Pontificatum tenuiſſe alios, neminem, ſi publicum luctum, atque opinionem ſpectes, glorioſius reliquiſſe.

BARTHOLOMAEUS GUIDICCIONUS LUCEN.

EPISCOPUS APRUTINUS

A PAULO III. ANNO MDXXXIX. CR. PR. CARDINALIS TIT. SANCTAE PRISCAE.

OBIIT ROMAE 28. AUGUSTI 1549.

VIr Pontificii Juris peritiſſimus, rerumque experientia praeſtans, adeo purae, ſinceraeque mentis, ut cunctis facile ſummae probitatis ſimulacrum eſſe videretur. In Alexandri Farneſii familiam adſcriptus, cum ſingulari juſtitiae, probitatis, & prudentiae laude commiſſa ſibi munera obiviſſet, tranquillioris vitae ſtudio in patriam ſe recepit, ubi procul a negociis, & fori, aulaeque tumultibus otio ſuaviſſimo muſas excoleret, ac obſequiis Divinis, & caeleſtium rerum contemplationi incumberet. Farneſius renuntiatus Pontifex, Guidiccionum renuentem, ut Romam peteret, ſummo imperio coegit. Ad Purpuram vocatus, Datarius, Signaturae Gratiae, & Juſtitiae Praefectus, Major Poenitentiarius, Romanae Rotae Reformator, ac demum Lucenſis Antiſtes unius anni curriculo declaratur. Praecipua ejus auctoritas fuit, ut Tridenti Concilium indiceretur, quo facilius Tranſalpinis Nationibus pateret acceſſus. Nonnullas Curiae Romanae conſuetudines, quae minus Juri conſonae videbantur, praeſertim in munere eo, quod Datariam vocant, ſcripto improbavit. Nulla vi, aut gratia ad Jus quodcumque violandum unquam adduci potuit. Cum inſtituendae Societati Jeſu praepoſitus judex primum adverſatus fuiſſet; quippe qui nuperos Religioſorum hominum Ordines ſupra veteres a ſanctiſſimis Viris inſtitutos, aliquandiu improbaverat, tum non ſolum ita ſtudium vertit, ut eam Societatem, tanquam Eccleſiae utiliſſimam Diplomatibus Pontificiis confirmandam curaverit, ſed & omni ope fovendam, & propagandam judicaverit. Inſignia reliquit doctrinae in utroque Jure monumenta, quae in Bibliotheca Vaticana ſervantur. Deceſſit octogenarius, ejuſque cadaver Lucam delatum eſt.

JOANNES MORONUS MEDIOLANENSIS

EPISCOPUS MUTINEN.

A PAULO III. ANNO MDXLII. CR. PR. CARD.

TIT. S. VITALIS,

DEINDE EPISCOPUS OSTIEN.

OBIIT ROMAE 1. DECEMBRIS 1580.

MAgnis negotiis ſaepe praefectus, ſingulari rerum cognitione, prudentiaque floruit. Ad Ferdinandum Romanorum Regem miſſus, omnibus Germaniae conventibus praeſertim Ratiſponenſi Religionis, & belli Turcici cauſa coactis interfuit. Quo in munere cum partes Nuntii vere Apoſtolici ad votum Pauli cumulatiſſime expleviſſet, abſens Cardinalis declaratur. Cum Cardinalibus Pariſio, & Polo ad Concilium Tridenti inchoandum Legatus decernitur; quo ſuſpenſo Bononienſem Legationem adminiſtravit. Legatus in Germaniam miſſus, Auguſtano Conventui adſuit. Romam reverſus apud Paulum IV. accuſatus ab invidis, quod cum Proteſtantibus colluſiſſet, ac de Religione minus recte ſenſiſſet, in Molem Hadriani conjicitur, & a quatuor Cardinalibus ſevera inquiſitione examinatur. Pius IV. cognita Moronis innocentia, illum non modo ab omni injuria vindicavit, ſed etiam primum Legatum, & Praeſidem ad Tridentinam Synodum deſtinavit, ut quam ipſe juſſu Pauli III. inchoaverat, abſolveret. Sedente Gregorio XIII. iterum Conventui Ratiſponae celebrato Sedis Apoſtolicae Legatus interfuit. Maximilianum Caeſarem Polonis Proceribus, quod ſe neglecto, quem prius in Regem nominaverant, Stephano Batthorio Poloniae Regnum dediſſent, iratum placavit. Tantis pro Sede Apoſtolica toleratis laboribus minime fractus, cum Pius IV. ad Caeſarem Legatum deſignaſſet, hortatuſque eſſet in publico Conſiſtorio, ut ad Dei gloriam hanc Provinciam ſuſciperet, reſpondit, partes ſuas eſſe ſilere, & obſequi. Sedente Gregorio XIII. Genuam profectus Pontificius Legatus, Rempublicam novis praeſcriptis legibus ad pacem, & tranquillitatem redegit. Conſilio ſuo perfecit, ut Romae Collegium Germanicum ad Eccleſiae Romanae decus, & ad Germaniae praeſidium fundaretur. Septuagenario major pie obiit, ac tumulatus eſt ad Minervam.

GREGORIUS CORTESIUS MUTINEN.

ORDINIS SANCTI BENEDICTI

A PAULO III. ANNO MDXLII. CR. PR. CARDINALIS
TIT. S. CYRIACI IN THERMIS.

OBIIT ROMAE 21. SEPTEMBRIS 1548.

ADhuc adoleſcentem propter praeſtantiſſimum ingenium, magnamque doctrinam Joannes Cardinalis Medices ab Epiſtolis, negotiiſque domeſticis eum ſibi adſcivit. Quo Pontifice Leonis X. nomine creato, graviſsimum munus audiendarum cauſarum ſumma integritate exercuit. At cum hujuſmodi labore nimium premeretur, & ad Sacrarum Literarum ſtudium, quietamque vitam divino quodam inſtinctu traheretur, ad Coenobium S. Benedicti in agro Mantuano Congregationis S. Juſtinae convolans, Monachi habitum induit. Paulus III. viri probitate, ſcientia, ac religione permotus ex Abbate Cardinalem creavit. Firmiter ſperamus, inquit in datis ad eum literis, quod his difficillimis temporibus, tua opera, & conſilio nobis & ornamento futurus ſis, & adjumento. Romam cum veniſſet, Urbinatenſis Eccleſiae Praeſul nominatur, ac rebus ad Concilium ſpectantibus cum lectis aliis Cardinalibus praeficitur. Cum doctis viris per totam fere Europam familiaritatem, & frequens per epiſtolas commercium habuit, celebratus ab omnibus ob ingenium prope divinum, doctrinamque mire excellentem, ut ejus opera teſtantur. Morti proximus familiarem ſuum alloquutus eſt his verbis: *En ſum morti proximus. Melius mihi proculdubio eſſet e vita migrare in paupere Religioſorum virorum veſte, quam in hac Purpura. Splendet haec quidem in hominum oculis, ornatque virum, ſed niſi digne geratur, continuo etiam maximopere onerat, & aggravat.* Sepultus eſt in Baſilica duodecim Apoſtolorum.

CHRISTOPHORUS MADRUCIUS TRIDENTINUS

PATRIAE SUAE EPISCOPUS, ET PRINCEPS

A PAULO III. ANNO MDXLII. CR. PR. CARD.

TIT. S. CAESARII IN PALATIO,

DEINDE EPISCOPUS PORTUENSIS.

OBIIT TYBURE 5. JULII 1578.

CIvitatem, & Eccleſiam ſuam una cum Brixienſi ſumma cum laude adminiſtravit, multis utrobique relictis doctrinae, pietatis, & munificentiae monumentis. Interſuit Oecumenico Concilio in propria Eccleſia ejus etiam opera incoepto. Romam poſtea a Carolo Caeſare miſſus, ut Paulus opem ferret pro bello adverſus Proteſtantes, tres Italas Legiones, & mille cataphractos milites, & ut Alexander Cardinalis Farneſius maxima Procerum caterva comitante in Germaniam ipſius exercitus Legatus, Octaviuſque Frater Dux mitterentur, obtinuit. Conventui Auguſtae Vindelicorum celebrato S. R. Imperii Princeps interſuit, & controverſiam inter Pium IV., & Maximilianum II. in Imperatorem electum de ſolenni fidelitatis juramento Romano Pontifici per Georgium Helſenſtenium Comitem ejuſdem Maximiliani nomine praeſtando exortam, cum aliquot Cardinalibus compoſuit, ac ſedavit. Tanta ejus fuit liberalitas, ut praeter inopes, quos omni ope ſublevavit, Stanislao Cardinali Hoſio, quem omnes ſuas facultates in eoſdem effundere non ignorabat, multa aureorum millia elargiretur. Eccleſiaſticam diſciplinam magno ſtudio coluit, liberales diſciplinas prope exulantes excepit, ſovitque, & in veram gloriam animum intendens, inania omnia vitavit ſedulo, palamque contemſit. Tybure Romam delatum corpus ejus in Sacello Familiae ſuae apud S. Onuphrium conditum eſt.

GEORGIUS ARMANIACUS GALLUS

EPISCOPUS RUTHENEN.

A PAULO III. ANNO MDXLIV. CR. PR. CARD.
TIT. SS. JOANNIS, ET PAULI.

OBIIT AVENIONE 2. JUNII 1585.

ANtiquitate generis, & gloria majorum, propriis autem virtutibus maxime florentem Franciſcus I. magnis negotiis praepoſuit, ac amplioribus in dies honoribus auxit. Ad Romanum Pontificem Regius Legatus, eodem Rege rogante in Sacrum Collegium cooptatur. Toloſanae Eccleſiae, & Occitanae Provinciae ſummo cum imperio praefectus, Fidei, & Religionis Catholicae defenſor acerrimus fuit. Avenionenſem ditionem, cui pro Carolo Cardinali Borbonio Legato praeerat, ab haereticis immunem, tutamque ſervavit. Studiis literarum a pueritia deditus, ad ea diligenter excolenda reliquos omnes inflammavit. Doctorum virorum fautor eximius; cujus rei fidem faciunt Petrus Gillius, & Guilielmus Philander, ambo in familia ejus educati, magnam operam poſuit, ut veteres Authores reſtituerentur, & ab oblivione vindicarentur; quorum magnum numerum non ſolum undique perquiri, ac deſcribi juſsit ſuis ſumtibus, ſed etiam Regi omnium bonarum artium ſtudioſiſsimo, ut idem faceret, miſsis in omnes partes Europae doctiſsimis hominibus, facile perſuaſit. Ab Eccleſia Toloſana ad Avenionenſem translatus, dum Cleri reformationi, Templorum reſtaurationi, morum correctioni totus inrendit, ac optimi Praeſulis muneribus fungitur, in ſumma ſenectute moritur pientiſsime.



OTHO TRUSCHES DE WALTBURGO

AUGUSTAE VINDELICORUM NATUS,

EJUSQUE URBIS EPISCOPUS,

A PAULO III. ANNO MDXLIV. CR. PR. CARD.

TIT. S. BALBINAE,

DEINDE EPISCOPUS PRAENESTINUS.

OBIIT ROMAE 2. APRILIS 1583.

PRaeter majorum imagines propria virtute, & literarum laude excelluit. Adoleſcens Bononiae Juris ſcientiae operam dedit Hugone Boncompagno, qui poſtea Gregorius XIII., Profeſſore publico praelegente, habuitque illic ſtudiorum ſodales viros eximios Alexandrum Farneſium, Chriſtophorum Madrucium, & Stanislaum Hoſium, poſtea S. R. E. Cardinales, quibuſcum magna Othoni interceſsit ſamiliaritas, & neceſsitudo. A Paulo III. in Germaniam Sedis Apoſtolicae Internuntius ad Conventum Norimbergenſem, indicendi Praeſulibus Germaniae Concilii Tridentini cauſa mittitur. Re bene geſta Auguſtanus Epiſcopus eligitur, & Cardinalis renunciatus cum Bavariae Duce adverſus Principes Proteſtantes bellum non comparavit ſolum, ſed & ſtipatus gentilibus ſuis Magnatibus, Imperatoris nomine geſſit. Parta victoria Dioeceſim Auguſtanam ſibi commiſſam magna ex parte ab haereticis recuperatam, celebrata Synodo, erroribus, & corruptis moribus expurgavit. Imperii Protector a Caeſare declaratus, in Conventu Auguſtae iterum habito, reliquis Pontificiis Miniſtris abſentibus, onus Religionis Catholicae totum humeris ſuis ſuſtinuit. Praeter multos alios, Ulricum Comitem Helſenſtenium magnae apud Germanos auctoritatis virum in Catholicae Eccleſiae gremium reduxit. Collegium Dilinganum pro Cleri reformatione, & inſtructione excitavit, ac PP. Soc. Jeſu addixit. Cardinalis laudatiſſimus, & Fide Catholica deſenſa, ac prudentia civili inſignis, qui ſua aetate vere ſpeculum Praeſulum appellari potuit, cuique inprimis cura ſuit, ut boni Antiſtitis officium bene intelligeret, intellectumque re ipſa compleret. Oſſa ejus translata ſunt Dilingam.

Digitized by Google

HENRICUS A LUSITANIA

BRACARAE AUGUSTAE ARCHIPRAESUL

A PAULO III. ANNO MDXLV. CR. PR. CARDINALIS
TIT. SS. QUATUOR CORONATORUM.
IDEMQUE LUSITANIAE REX
OBIIT ULYSSIPONE 31. JANUARII 1580.

E Manuelis Luſitaniae Regis filius adoleſcens ſe Clericali Militiae addixit, & ad maturiorem aetatem progreſſus SS. Patrum lectioni, ac ſtudio ſedulo vacavit. Bracarenſis, deinde Eborenſis, ac demum Ulyſſiponenſis Archiepiſcopus factus nullum optimi Paſtoris munus praetermiſit. Generalis Fidei Inquiſitor, & Romani Pontificis Legatus a Latere, ita ſolicite, fortiterque geſſit omnia, ut integram, ſinceramque Fidem, qua potitur hodie Luſitania, illi uni poſt Deum, acceptam referre debeat. Nihil antiquius habuit, quam ut Judaeos omnes, ac Saracenos aut ad profeſſionem Catholicae Fidei perduceret, aut pertinaces Regno eliminaret. Coenobia, Xenodochia, Collegia, Academias, Templa ubique extruenda curavit. Dum nepos Sebaſtianus Rex, Joannis filius adoleſceret, Regnum adminiſtravit. Poſteaquam ille in fatali Africano bello occubuit, Henricus Rex inauguratus, a Diademate geſtando abſtinuit, oſtendens quantum ipſe afficeretur publicis malis, quae non modo Luſitaniae, ſed univerſae Chriſtianae Reipublicae ex tanta jactura imminebant. Dum totus regendo, ſublevandoque Regno incumbit, agiturque inter Proceres, & Theologos de contrahendo ab eo matrimonio, unde Regni heres ſuſciperetur, Henricus, qui niſi invitus non ibat in hanc ſententiam, favente Deo votis optimi Sacerdotis, & Regis, aegrotat, pauloque poſt moritur, relinquens Regnum potentiori occupandum. Eluxit in eo vitae integritas, morum ſanctimonia, vereque regia liberalitas, qua inopes, probos, literatos omnes fovit, & complexus eſt. Princeps aeterna memoria dignus, qui Regali Majeſtate, quod ad eam aetatem viſum non fuerat, Sacrum Collegium illuſtravit, & Coronam Inſulae, Sceptro Baculum Epiſcopalem, & utramque Purpuram copulavit.

CAROLUS GUISIUS E DUCIBUS LOTHARINGIAE

ARCHIEPISCOPUS RHEMEN.

A PAULO III. ANNO MDXLVII. CR. PR. CARDINALIS
TIT. SANCTAE CAECILIAE.

OBIIT AVENIONE 26. DECEMBRIS 1574.

AD ſanguinis claritatem eam adjunxit virtutem, qua dignus judicatus eſt, qui XXIII. annorum in Sacrum Purpuratorum Ordinem adlegeretur. Seminarium inſtituendae in miniſterium Evangelii juventutis primus in Gallia informavit, Rhemiſque aperuit, & Muſsipontanum Gymnaſium ſub inſtituto, ac diſciplina Patrum Soc. Jeſu felicibus auſpiciis inſtituit, & juſſu Regis Pariſienſem Academiam priſtino ſplendori reſtituit. Poſt literarum ſtudia ad negotia animum ſedulo appulit, in quibus tractandis rara ſupra annos ſolertia, in explicandis naturali facundia excelluit, accedente oris majeſtate, & compoſito geſtu, qui & orationi dignitatem, & oratori ſummam gratiam conciliaret. In colloquio Poſsiacenſi Religionis cauſa celebrato, Calviniſtarum molimina virili facundia, & auctoritate Sacrarum Literarum eliſit. Adfuit Synodo Tridentinae perhonorifice a PP. exceptus. In Galliam reverſus, ea, quse Tridenti decreta fuerant, obſervare curavit, quantum miſerrima temporum calamitas pateretur. Saepenumero Regis, ac Patriae cauſam agens, adiit Pontificem, Caeſarem, Venetos, alioſque Catholicos Principes felici exitu. Viros literatos, & probos impenſo ſtudio proſequutus eſt, eorum conſuetudine, & virtute mire delectatus, nec facile alios ad Aulae, aut Eccleſiae dignitates evehi patiebatur. Magni animi, zelique Apoſtolici in ſervanda S. Sedis dignitate, & Catholica Religione ab hoſtibus vindicanda, egregia praeſtitit exempla. Hinc magna in ſe concitavit Politicorum, & haereticorum odia, & calumnias, quae tantum nomen apud ſanae mentis homines magis illuſtrârunt.

ROBERTUS DE NOBILIBUS

MONTE POLITIANO NATUS

A JULIO III. ANNO MDLIII. CR. DIAC. CARD.
TIT. S. MARIAE IN DOMNICA.

OBIIT ROMAE 14. JANUARII 1559.

ADoleſcens excellenti ſupra aetatem virtute, & doctrina, a magno Avunculo in Sacrum Collegium annum agens XIII., Patribus univerſis approbantibus, cooptatur. Purpura inſignitus ſingularem in cultu, victuque moderationem retinuit, & vitae ſanctimoniam non imminuit dignitatis acceſſu, atque licentia, ſed augere potius novo virtutum ornamento procuravit. Hinc ad eam vitae perſectionem devenit, ut non ſemel, quo melius Chriſto ſerviret, eremum petere cogitârit. De eo cum Rodulphus Cardinalis Carpenſis ſermonem in frequentiſſimo conventu inſtituiſſet, poſt multas ipſius laudes, egregium adoleſcentem annos vix dum XVII. natum, ad emendandos mores maxime idoneum affirmare non dubitavit, utpote qui eum crebris verberibus, ac veſte cilicina corpus deprimere, atque animum ad Caeleſtia erigere non ignoraret. Paulo IV. acceptiſſimus ſuit, qui eum publico in Conſiſtorio clara voce ANGELUM DOMINI appellavit, quod ei cognomen a Patribus tum maxime, cum in Senatum veniret, ob modeſtiſſimam oris ſpeciem, mirabilioremque morum innocentiam, perpetuo deinde tributum eſt. Tandem in aetatis flore lenta ſebre correptus cum inſignis patientiae exemplo per ſex menſes decubuiſſet, fiducia invictus, humilitate ſecurus, & animo in rerum Divinarum contemplatione defixus, Caelumque ſuſpiciens placide animam Deo reddidit. Vincentius Pater Optimo Filio ſibi anno aetatis XVIII. erepto marmoreum ſepulchrum poſuit ad S. Petrum in Janiculo.

Digitized by Google

JO: BERNARDINUS SCOTUS SABINUS

CONGREGATIONIS CLERICORUM REGULARIUM THEATINORUM

ARCHIEPISCOPUS TRANEN.

A PAULO IV. AN. MDLV. CR. PR. CARDINALIS
TIT. S. MATTHAEI IN MERULANA.

OBIIT ROMAE 2. DECEMBRIS 1568.

CLericorum Regularium primordiis probae vitae exemplis magna incrementa dedit, ſacris literarum ſtudiis, Graecis, Hebraicis, & Chaldaicis ſingulariter ornatus. A Paulo III, Aloyſio Lippomano Veronenſi Epiſcopo, qui in Concilio Tridentino maxime claruit, in Galliam, atque Germaniam cum Legationis honore proficiſcenti pro graviſsimis Eccleſiae negotiis comes, & adjutor datus fuit. Dum Venetiis domui Congregationis ſuae praepoſitus eſſet, a Paulo IV. Romam vocatur, & uno eodemque Conſiſtorio Cardinalis, & Archiepiſcopus Tranenſis reluctans declaratur. In ea dignitate, zelo, & ſinceritate verum ſe Eccleſiae Senatorem exhibuit. Sedente Pio IV. ad Eccleſiam Placentinam translatus, oves fidei ſuae commiſſas verbo, & exemplo pavit. Deinde Pius illum Romam revocavit, & in magnam curarum partem admiſit. Exorata tandem licentia ad ſuam Eccleſiam regreſſus, priſtinum laborem reſumſit, eique ut totus incumberet, defuncto Pio, ad Comitia non acceſſit. In quo etiam eluxit magna Viri humilitas, quem doctrina, vitaeque ſanctimonia florentiſſimum pars magna Patrum dignum ſummo Pontificatu exiſtimabat. S. Pius V. Romam advocatum ſummum haereticae pravitatis Cenſorem dixit, atque Graecorum, & Orientalium Eccleſiarum in Curia Patronum conſtituit. Ejus potiſſimum cura, & labore emendatum eſt Breviarium Romanum, & Miſſale, quibus nunc utimur. Ejus obitum lacrimis Sanctiſſimus Pontifex proſequutus eſt, utpote qui adminiſtrum prudentiſſimum, atque integerrimum amiſiſſet. Sepultus eſt in Baſilica S. Pauli.

JOANNES GROPPERUS
WESTPHALUS

ARCHIDIACONUS COLONIENSIS

A PAULO IV. ANNO MDLV. CR. PR. CARDINALIS

TIT. SANCTAE LUCIAE IN SILICE.

OBIIT ROMAE 13. MARTII 1558.

Eloquentia admirabili, raraque eruditione inſtructus magnum fuit Germanicae Eccleſiae decus, & in Catholica Religione tuenda praeſidium. Teſtantur praeclarum ejus ingenium monumenta, quae de controverſiis Chriſtianae Fidei edidit. Colonienſis Eccleſiae Archidiaconus Synodi Provincialis per Adolphum Archiepiſcopum celebratae deſcriptas leges in quatuor, & decem libros admirabili ingenii acumine, & praeclara ſapientiae, Chriſtianaeque pietatis laude redegit. Ob notam pacatae mentis indolem, & prudentiam a Carolo V. electus eſt inter eos, qui in Conventu Ratiſponenſi coram ſe & Cardinali Contareno Pontificio Legato cum Proteſtantibus de Fidei articulis diſputarent. Hermanno Archiepiſcopo, metuendo Dei judicio in haereſim prolapſo fortiter reſtitit, auctorque fuit, ut Pontificis judicio ab Archiepiſcopatu deponeretur, & implorata Caeſaris ope, illi Adolphus Schavenburgicus ſucceſſor daretur. Tanto autem ſtudio in haereticis a Civitate Colonienſi arcendis deſudavit, ut Apoſtoli nomen meruiſſe videatur. Ob ſuſceptos pro Religione labores, & vitam ipſam ſaepe praeſentiſſimo mortis periculo expoſitam Paulus in Collegium Cardinalium Gropperum cooptavit, eumque dignitatem ultro oblatam repudiantem, Romam accivit, ut quem literis non flexerat, ſermone emolliret, vel auctoritate cogeret. In itinere aegritudine correptus Romam ſemimortuus ingreſſus eſt, nec multo poſt diem extremum obivit. Epiſcoporum more ſolenni pompa expoſitum corpus in Templo S. Mariae Germanorum, tantam ſui admirationem movit, ut adſtantes exclamarent, ſe vix vivum ullum vidiſſe magis aſpectu decorum, & ſerena majeſtate conſpicuum. Pontifex in Oratione funebri, quam in demortui laudem pronunciavit, ſententiam hanc non ſemel protulit: Nequaquam Gropperum amiſimus, ſed ad Deum praemiſimus.

Digitized by Google

S. CAROLUS BORROMAEUS

A PIO IV. ANNO MDLX. CR. DIAC. CARDINALIS

TIT. SS. VITI, ET MODESTI,

DEINDE PR. CARD. TIT. SANCTAE PRAXEDIS.

OBIIT MEDIOLANI 4. NOVEMBRIS 1584.

A Puero in Sortem Domini vocatus, per viam innocentiae, & ſcientiam Sanctorum ad ſacrum Eccleſiae Senatum anno aetatis xxii. pervenit, & S. Sedis praecipuis negotiis admotus, ea omnia egregia fide, & ſingulari prudentia adminiſtravit. Mediolanenſi Eccleſiae praefectus, factus eſt vera Dignitatis Epiſcopalis forma, & decus, nova quotidie praebens exempla vigilantiae, & paſtoralis ſolicitudinis. Sanctis operibus aedificata Urbe, defuncto Avunculo Pio IV. ad Eccleſiam ſuam evolavit, & perpetuo incubuit corrigendis populorum pravis moribus, veterique diſciplinae reſtituendae. Oves ſuas peſtilentia laborantes in humeris ſuis bonus Paſtor portavit, ſeque pro eis Deo obtulit hòſtiam placationis. Clariſſimus ſumma erga omnes caritate, caeleſtium rerum deſiderio, humanarum contemtu, invicta in adverſis conſtantia; tanta autem humilitate, quam Reginam, & Matrem virtutum omnium appellare conſueverat, ut cum Stemmata paterna, & materna nobiliſſima haberet, his contemtis, erigeret pro ſublimi Stemmate HUMILITATEM. Alter temporis noſtri Ambroſius, alter Chryſoſtomus. Deus itaque ſecundum conſilium ſuum, & providentiam, quae magnarum rerum ſeriem longe ante diſponit, Carolum Borromaeum naſci, & educari voluit, qui in ſacroſanctae ſtationis, & ordinis honore poſitus efficeret ſanctitate ſua, zelo, & doctrina, ut Tridentina Synodus abſolveretur, & ejus Decreta ſervarentur: ſicque Eccleſia internis hoſtibus, nempe vitiis, externis vero, nempe haereticis miſerum in modum impetita, & exagitata, exemplo, & Apoſtolica fortitudine tanti Cardinalis magna ex parte liberaretur, & ſaluti, priſcorumque temporum ſplendori reſtitueretur.

Digitized by Google

HIERONYMUS SERIPANDUS

TROJAE IN APULIA NATUS

ORDINIS EREMITARUM S. AUGUSTINI

ARCHIEPISCOPUS SALERNITANUS

A PIO IV. ANNO MDLXI. CR. PR. CARDINALIS

TIT. SANCTAE SUSANNAE.

OBIIT TRIDENTI 17. MARTII 1563.

PRaeclaris virtutibus, linguarum multarum cognitione, & doctrina ſingulari primum in Ordine Eremitarum S. Auguſtini Magiſtratum promeruit. Eo ſponte ſe abdicavit, ut reſiduum vitae tempus rerum divinarum contemplationi impenderet. At Caroli V, cui tanti Viri dotes plane innotuerant, opera in lucem revocatus, regendam ſuſcipere Salernitanam Eccleſiam coactus eſt. Ea in dignitate conſtitutus Synodo leges Dioeceſi opportunas tulit, ſategitque praeſertim exemplo ſuo, ut obſervarentur. Pius IV. inter pravas opiniones fluctuantem Chriſtianae Reipublicae navim ejus auctoritatis, & ſcientiae pondere confirmandam putavit. Quamobrem in Tridentino Concilio ad examinandos circa Sacram Scripturam abuſus, eoſque corrigendos munus illi demandatum eſt: quod ſingulari ſapientia, ac pietate perfecit. Romam accerſitus in Sacrum Cardinalium Ordinem magna Patrum comprobatione cooptatur, & ejuſdem Concilii Legatus decernitur. Tridenti a Collegis ſuis honorifice exceptus, qui nullis laboribus frangeretur, nullis oneribus premeretur, ita provinciam geſſit, ut in eo uno, tanquam praecipuo, ac firmiſſimo Eccleſiae columine, tota res ſacra niti videretur. Ibidem Synodo nondum abſoluta, non ſine Patrum luctu e vita migravit. Scripſit plurima, quae profundam ejus ſcientiam, & religionem teſtantur.

Digitized by Google

S T A N I S L A U S H O S I U S
C R A C O V I E N S I S
E P I S C O P U S V A R M I E N.
A PIO IV. AN. MDLXI. CR. PR. CARDINALIS
TIT. SANCTAE SABINAE.

OBIIT CAPRANICAE 5. AUGUSTI 1579.

Cum in domeſtica virtutis, & pietatis exempla incidiſſet ab ineunte ſtatim aetate, indicia praebuit ſuturae ſanctimoniae. Studio Religionis Catholicae inflammatus nihil omiſit pro ejus defenſione, dignus, quem Paulus IV. Romam advocaret, ut propius laboranti Eccleſiae conſilio, & opera ſua prodeſſet. Cum de eo in numerum Senatorum cooptando cogitaret Pontifex, humilitate ſua, ac precibus dignitatem eam effugit, quam a Pio IV. oblatam, praeſertim ob egregiam operam Eccleſiaſticis rebus navatam apud Carolum V., & Ferdinandum Romanorum Regem, declinare non potuit. Toto plaudente Sacro Collegio, Legatus ad Concilium Tridentinum pronunciatur. Eo abſoluto ad commiſſam ſibi Varmienſem Eccleſiam perrexit, ſuamque re comprobavit Fidem, induſtriam, & caritatem non ſolum Polonis ſuis, Lithuanis, Ruthenis, Ruſſis, & Pruſſis, ſed vicinis etiam Provinciis Germaniae, & Bohemiae. S. Pius V. ſuum in Polonia Legatum conſtituit. A Sigiſmundo Rege pro Regni negotiis Romam miſſus, ibidem incredibili bonorum omnium laetitia exceptus eſt. A Gregorio XIII. ad majoris Poenitentiarii munus electus, id quandiu potuit, recuſavit: ſed parere debuit Pontifici perſiſtenti in ea ſententia: Quod ei potiſsimum committenda eſſet peccatorum alienorum cura, qui propriis omnium minus eſſet onuſtus. Immortalem ejus gloriam afferunt Catholica Fides egregie propugnata, & exarata multa volumina, quae cum eruditione, & doctrina redolent magnam Auctoris ſanctitatem. Qui vivens pauperum pater fuerat, moriens bona reliqua, pauca quidem in eoſdem erogavit. Jacet in Baſilica S. Mariae trans Tyberim.

Digitized by Google

LUDOVICUS SIMONETTA MEDIOLANEN.

EPISCOPUS LAUDEN.

A PIO IV. ANNO MDLXI. CR. PR. CARDINALIS TIT. S. CYRIACI IN THERMIS.

OBIIT ROMAE 30. APRILIS 1568.

Juris utriuſque Doctor inſignis in Concilio Tridentino ſedente Paulo III., & in aliis muneribus ſibi demandatis, ſummam integritatis, & juſtitiae laudem promeruit. Ex Datario Cardinalem renunciatum, Pius IV. cum idem concilium proſequendum Tridenti indixiſſet, Apoſtolicae Sedis Legatis Simonettam adjunxit. Synodo fine impoſito, Romam rediit cum Cardinali Morono, quibus Patres demandârunt, ut Actorum Concilii confirmationem a Summo Pontifice pererent, quam obtinuerunt. Tanti in Synodalibus actionibus utriuſque Legati opera valuit, ut Pius in Conſiſtorio, commendata Moroni virtute, Simonettae fidem, conſtantiam, induſtriam, & perpetuam Sedis Apoſtolicae defenſionem magnis laudibus efferret. Ex teſtamento cavit, ut ſine ulla inſcriptione tumularetur. Ejus rei paulo ante vitae exitum, cauſam rogatus, reſpondit, dedecere hominem, dum in cinerem redigitur, & vermibus eſca apponitur, gloriari. Animae, non titulorum inanium, habendam eſſe curam morituris. Caret ideo Epitaphio ejus Tumulus in Templo S. Mariae Angelorum in Thermis.



ANTONIUS PERENOTTUS DE GRANVELLA BISUNTINUS

PRIMUS ARCHIEPISCOPUS MECHLINIEN.

A PIO IV. ANNO MDLXI. CR. PR. CARDINALIS TIT. SANCTI BARTHOLOMAEI,

DEINDE EPISCOPUS SABINENSIS.

OBIIT MATRITI 20. SEPTEMBRIS 1586.

ARchidiaconus Biſuntinus, & Epiſcopus Atrebatenſis, cum Patre ſuo Nicolao Caroli V. Cancellario, Tridentino Concilio interſuit, habuitque ad Patres eloquentiſſimam orationem. Admiſſus ad conſilia Caeſaris, varias ejus Legationes obivit ad Reges Galliae, & Angliae: hinc adminiſter datus Margaritae Auſtriacae Belgii Gubernatrici, Rempublicam pari ſapientia, & auctoritate rexit. Invidorum Procerum artibus vocatur in Hiſpaniam; inſtituitur a Paulo IV. primus Mechliniae Archiepiſcopus, deinde a Pio IV. Cardinalis renunciatur. Succedit Cardinali Claudio de Balma in Archiepiſcopatu Biſuntino. Regni Neapolitani Prorex Philippi II. nomine cum S. Pio V. egit de foedere Chriſtianorum pro bello contra Turcas ſuſcipiendo. Icto foedere Legatus Apoſtolicus declaratur, & Jo: Auſtriaco Chriſtianae Claſſis Imperatori tradit ſacrum Vexillum, quo praeeunte hoſtes ad Echinadas Inſulas deleti ſunt. Conſilii rerum Italicarum ſupremus Praeſes declaratus, hanc provinciam perpetua laude adminiſtravit. Viro tot negociis occupato non defuit amor literarum, omniumque bonarum artium. Septem linguas, ut ſuam plane calluit, ſeptus, cum vacaret a negotiis, doctis hominibus omnium nationum, quorum unumquemque ejus lingua expedite alloquebatur. Vix quandoque dictanti epiſtolas, ſeptem ſufficiebant ſcriptores; adeo uberi, & prompto erat ingenio. Fovit non doctos ſolum, ſed & artifices, qui ejus imaginem certatim quacunque materia exprimebant, aut habere apud ſe geſtiebant. Tanta gloria non tumuit. Noctu quandoque pedes Templa viſitabat, frequens erat in Xenodochiis, & Coenobiis, quae multis opibus ditavit. Raro felicitatis exemplo tota vita integram Aulae gratiam ſuperata invidia conſervavit. Luctu omnium e vita exceſſit. Funus tanta celebritate ductum, quanta ullas ſupplicationes habitas hiſtoriae tradunt. Corpus Veſontionem relatum in paterno ſepulchro apud Carmelitas conditum eſt.

MARCUS ANTONIUS AMULIUS VENETUS

A PIO IV. ANNO MDLXI. CR. DIAC. CARDINALIS,

DEINDE PR. CARD. TIT. S. MARCELLI.

OBIIT ROMAE 13. MARTII 1570.

ELoquentiam, civilium rerum uſum, multiplicemque doctrinam a prima aetate conſecutus, pro Republica pluribus Legationibus magna cum laude ſunctus eſt. Supremam Romae agentem, Pius IV. admiratione virtutis, Cardinalem, nil tale cogitantem creavit, imo renuentem cum prae ſingulari animi moderatione, tum quod Venetae leges ornari Legatos ſuos externis honoribus prohibeant. Tulit quoad vixit, aequo animo, ſuffragiorum ſeveritatem, cum tamen Chriſtiana Reſpublica de nova tanti Viri dignitate valde laetaretur. Cum Cardinali Alexandrino, qui Eccleſiae poſtea Pii V. nomine praefuit, Abdieſu Patriarchae Muzalen. Orientalis Aſſiriae, qui ut Apoſtolorum limina viſitaret, Romam venerat, Catholicae Fidei Profeſſionem excepit, cumque Romae agentem impenſe ſovit, atque auctor fuit, ut Pius in patriam redeuntem multis, pretioſiſque muneribus donaret. Reatinae Eccleſiae ſancte praefuit, & Patavii Collegium educandis Venetae Nobilitatis adoleſcentibus erexit. Epiſtolae, quas ſcripſit familiares, Orationes Italicae, & Latinae, Tractatus de ſublimi genere dicendi, ac Vaticanae Bibliothecae Praefectura Amulio demandata, teſtimonium ſaciunt ſatis luculentum ejus doctrinae, miraeque eruditionis. Corpus ejus Venetias translatum eſt.

Digitized by Google

ALOYSIUS ESTENSIS

ARCHIEPISCOPUS AUXITANUS

A PIO IV. ANNO MDLXI. CR. DIAC. CARD.

TIT. SS. NEREI ET ACHILLEI.

OBIIT ROMAE 30. MAJI 1586.

EX Hercule II. Ferrariae Duce, & Renata Ludovici XII. Francorum Regis filia natus, adhuc adoleſcens a Paulo III. Ferrarienſi Eccleſiae praeficitur. In Galliam profectus nobiliſſimis aeque, ac ditiſſimis Sacerdotiis augetur, & Cardinalis renuntiatur. Juſſu Gregorii XIII. Sedis Apoſtolicae Legatus in Gallia decernitur, ut Conventui Bleſenſi intereſſet, & ut Henrico III. Regi ſuaderet, ne Duci Alenconio fratri faveret, qui Belgis Philippo Regi Catholico rebellibus adhaerebat. Galliae Protector in Curia deſignatus, magnitudine animi, & munificentia in Urbe tamquam in publico Chriſtiani Orbis theatro admirationi omnibus fuit. Nam quod in vaſtis aedium molibus, & otioſis operibus extruendis quandoque inſumitur, id ille totum demerendis hominum per liberalitatem voluntatibus, ac tenuiorum fortunis ſublevandis impendit, eas ſolas veras opes poſſidere ſe exiſtimans, quas amicorum neceſſitatibus non rogatus donaviſſet. Joannem Caſſierium, Magnum Religionis Sancti Joannis Hieroſolymitani Magiſtrum, qui Romam venerat, ut ſe apud Pontificem de injuſtis ſibi calumniis expurgaret, cum pluſquam ducentis ejuſdem Militiae Equitibus domum ſuam excepit, & per duos fere menſes regia munificentia habuit, & cohoneſtavit. Cardinali Hoſio eleemoſynis exhauſto, ſaepe refudit ingentem pecuniam, ne fons caritatis ab utro fluere unquam deſineret. Merito itaque Pater pauperum, Sacri Collegii ſplendor, Aulaeque Romanae ornamentum meruit appellari. Tybure in Templo S. Franciſci ſepultus eſt cum Patruo ſuo Cardinali Hippolito Eſtenſi.

MARCUS ANTONIUS COLUMNA

ARCHIEPISCOPUS TARENTINUS

A PIO IV. ANNO MDLXV. CR. PR. CARDINALIS
TIT. SS. XII. APOSTOLORUM,

DEINDE EPISCOPUS PRAENESTINUS.

OBIIT ZAGAROLAE 13. MAJI 1597.

EX praeclariſſima Columniorum Gente, cum Archiepiſcopus Tarentinus Tridentino Concilio ſingulari doctrinae, & Religionis laude interfuiſſet, in Cardinalium numerum adſcriptus eſt. A Gregorio XIII. commiſſam Piceni, & Campaniae Legationem tanta prudentia, & humanitate adminiſtravit, ut mirifice ſibi eorum populorum animos conciliaret, & poſterior Provincia etiam a Sixto V., iterumque a Gregorio XIV. eidem delegaretur. Vaticanae Bibliothecae a Clemente VIII. praefectus, benignum ſe doctorum hominum Mecoenatem praeſtitit, quibus patrocinio, pecuniaque nunquam defuit. Cum Guilielmo Cardinali Alano praefuit correctioni Editionis Sacrae Scripturae, a Sixto V. recognitae, & approbatae, adſcitis, quibuſcum deliberaret, octo e Congregatione a Gregorio XIV. deputata, viris doctiſſimis, linguarumque peritiſſimis, qui ut ab urbanis curis liberiores eſſent, omnes ſimul Zagarolam conceſſerunt. Tanta ſedulitate, tamque indefeſſo labore in id opus incubuere, ut viginti diebus utrumque Teſtamentum perdiligenter examinatum, quale nunc habemus, typis excuſum, & Sixti V. nomine, Clementiſque VIII. auctoritate vulgatum, tale Gregorio XIV. exhibuerint. M. Antonii eximia fuit in pauperes liberalitas, morum integritas, ſapientia, & zelus Religionis, quibus dotibus multi ex Conſcriptis Patribus dignum eum ſummo Pontificatu non ſemel praedicaverunt. Ultimo vitae luſtro, Beato Joſepho Calaſanctio Theologo uſus eſt, pari eum benevolentia, & veneratione proſequutus. Obiit in ſenectute bona, & apud Fratres Minores ſepultus eſt.

Digitized by Google

PROSPER PUBLICOLA DE SANCTACRUCE ROMANUS

EPISCOPUS CHYSAMEN.

A PIO IV. ANNO MDLXV. CR. PR. CARDINALIS

TIT. S. HIERONYMI ILLYRICORUM,

DEINDE EPISCOPUS ALBANEN.

OBIIT ROMAE 7. OCTOBRIS 1579.

Poſt primaria Aulae Pontificiae munera a Paulo IV. Nuntius deſtinatur ad Auguſtanum Germanorum Principum Conventum; hinc ad Ferdinandum Regem Romanorum; mox in Hungariam, ac Bohemiam, ubi in Conventu Pragae habito omnibus numeris abſolutam orationem dixit, qua Proceres ad procurandam Fidei unitatem hortatus eſt. Julius III. Nuntium ad Henricum II. Galliae Regem miſit, pro pace inter ipſum, & Carolum V. conciliauda. Sedente Pio IV. egregie functus eſt Legationibus Luſitanica, Germanica, & ſecunda ad Carolum IX. in Gallia, flagrante Regno inteſtino bello: in qua exercenda tantum haereticorum odium in ſe concitavit, ut ſaepiſſime, praeſertim dum iter ageret, niſi ſtratagemate uſus, mortem non evitaret. Purpurae honore decoratus, Arelatenſemque Archiepiſcopatum adeptus, adſcitus eſt ad Regia conſilia, & ſingulari fide, ac prudentia res inter Pontificem, Regem, & Catharinam Mediceam compoſuit, impetravitque, ut Eccleſiae Gallicanae Epiſcopi cum Cardinali a Lotharingia Tridentum mitterentur: qua acceſſione Synodus Oecumenica ingenti Eccleſiae Catholicae gaudio, & bono tandem abſoluta eſt. Maximis toto vitae curſu pro Republica ſuſceptis laboribus attritus, obiit prope octogenarius, ac tumulatus eſt in Baſilica Liberiana.



ZACHARIAS DELPHINUS VENETUS

EPISCOPUS PHAREN.

A PIO IV. ANNO MDLXV. CR. PR. CARD.

TIT. S. MARIAE IN AQUIRO.

OBIIT ROMAE 19. DECEMBRIS 1583.

IN multis domi, foriſque pro patria obeundis negociis ſingulari prudentia enituit. A Pio IV. cum poteſtate Legati de Latere acturus de rebus Religionis, & rei Chriſtianae, ad Ferdinandum Imperatorem electum, Maximilianumque ejus filium Romanorum Regem, & ad Principes Superioris Germaniae periculoſis itineribus, ultro citroque miſſus, Imperii Saeculares Electores, alioſque Principes, qui Luthero adhaeſerant, cum Commendono adivit, & ad Concilium Tridentinum celebrandum convocavit. Verum cum nihil ſibi eſſe cum Pontifice Romano negotii, & de ea re ad Caeſarem ſe relaturos dixiſſent, re infecta Zacharias, ſuperiori Germania pro officio peragrata, ad Caeſarem reverſus Cardinalis creatus eſt. Romam cum rediviſſet, ſapientiſsimi Senatoris partes omnes adimplevit. Tanta autem ingenii vi, mentiſque acie polluit, ut nihil cognitionem ejus ſugere videretur. Singularem operam navavit reducendis ad Fidem haereticis, ex quo zeli, ſolidaeque doctrinae laudem prometuit. Sine pompa elatus eſt ad S. Mariam ſupra Minervam.



JOANNES FRANCISCUS COMMENDONUS VENETUS

EPISCOPUS ZACINTHI, ET CEPHALONIAE

A PIO IV. ANNO MDLXV. CR. PR. CARDINALIS
TIT. S. CYRIACI IN THERMIS.

OBIIT PATAVII 26. DECEMRIS 1584.

AD multiplicem doctrinam, excellenſque ingenium ſingularem agendi dexteritatem adjecit. A Julio III. in Angliam miſſus ad hortandam Mariam, quae Eduardo ſucceſſerat, ut Regnum Catholicae unitati reſtitueret, rem pro communibus votis ſtatim perfecit, & reverſus cum Reginae Legatis, tam felici rerum exitu Romam, univerſamque Italiam laetitia cumulavit. A Paulo IV. ad Venetam Rempublicam legatur, deinde a Pio IV. ad Ferdinandum Imperatorem electum, ut Germaniæ Epiſcopos ad Concilium Tridentinum vocaret, utque Conventui Naumbergenſi a Proteſtantibus coacto, Pontificis nomine intereſſet. In Poloniam Legatus ad Sigiſmundum Regem decernitur, ubi rebus Catholicae Fidei ſtrenue invigilans, in Sacrum Collegium cooptatur. Comitiis Auguſtanis a Maximiliano II. indictis, jubente S. Pio V. pro Concilii Tridentini Decretorum, Fideique propugnatione interfuit. Mittitur ſecundo in Germaniam ad Maximilianum Caeſarem, cui perſuaſit, ne Auguſtanam Confeſſionem petentibus Auſtriae Ordinibus concederet. Pergit tertio in Germaniam adeundem Caeſarem conjungendum in foedere a Pontifice cum Hiſpanis, & Venetis contra Turcas inito; tum in Poloniam ad Sigiſmundum Regem, ut eum quoque ad illud bellum excitaret: cui negotio dum ſtrenue inſiſtit, Sigiſmundus è vivis eripitur. Hinc in Reipublicae comitiis Commendonus illud primum effecit, ut ſedatis gravibus diſſidiis Henricus Dux Andegavenſis omnibus ſuffragiis pacifice Poloniae Rex acclamaretur. Multis his, ac magnis laboribus, & periculis edocuit Commendonus, quibus gradibus a prima aetate ad Sedem Honoris merito aſcendatur.

Digitized by Google

G·U I L I E L M U S   S I R L E T U S

STILI IN CALABRIA NATUS

A PIO IV. ANNO MDLXV. CR. DIAC. DEINDE PR. CARD.

TIT. S. LAURENTII IN PANE, ET PERNA.

OBIIT ROMAE 8. OCTOBRIS 1585.

HOneſtis parentibus natus, linguae Latinae, Graecae, Hebraicaeque cognitione comparata, & in Philoſophicis, Theologiciſque rebus apprime verſatus, Romam cum unico tantum Sacrae Scripturae volumine, ut ſama eſt, venit, & inter Marcelli Cervini Cardinalis familiares adſcriptus eſt. A Pio IV., qui ejus diſciplinae adoleſcentem Carolum Borromaeum commiſerat, ex Protonotario Apoſtolico, ſacro inſtante Senatu, Cardinalis invitus renunciatur. S. Pius V. Sirletum S. Marci Epiſcopum creavit, eique Bibliothecae Vaticanae curam commiſit: quam conquiſitis toto orbe terrarum, voluminibus mirifice locupletavit, & auxit. Catechiſmum Romanum ex Decreto Tridentini Concilii, adhibitis ex Ordine Praedicatorum Leonardo de Marinis Archiepiſcopo Lancianenſi, Aegidio Fuſcarario Epiſcopo Mutinenſi, & Franciſco Forerio, compoſuit. Eximia ſuit in omnes, vel infimæ conditionis humanitate; in egenos vero tanta liberalitate, ut non ſemel ſeſe, ut eos indueret, veſtibus ſuis expoliaverit. Quinquennio commiſſam ſibi Eccleſiam more antiquorum Patrum rexit, & quotidiano Verbi Dei pabulo gregem pavit. Propinquos, & familiares ſuos non divitiis, ſed bonis moribus ornare ſategit. Tanta in eo rerum omnium moderatio fuit, ut non ſatis conſtaret, utrum doctior eſſet, an ſanctior. Plurima ſcripſit, eaque doctiſſima*, nihil prae humilitate edidit. Romae fundavit Templum S. Mariae de Montibus, piorum eleemoſynis abſolutum. Sepultus eſt in Templo Tituli ſui.

GABRIEL PALAEOTTUS BONONIEN.

SACRAE ROTAE AUDITOR,

A PIO IV. AN. MDLXV. CR. PR. CARDINALIS

TIT. SS. NEREI, ET ACHILLEI,

DEINDE EPISCOPUS SABINENSIS.

OBIIT ROMAE 22. JULII 1597.

A Primis annis in literas humaniores, & Legalem ſcientiam incumbens brevi excellens Orator, & I. C. evaſit. Juris Caeſarei interpretandi munus publicum in patrio Gymnaſio per plures annos ſuſtinuit. A Paulo IV. depoſcente Bononien. Senatu Rom. Rotae Auditor conſtituitur. Cum Pius IV. Concilium Tridentinum abſolvere ſtatuiſſet, Legatis, qui Concilio praeeſſent, ex XII. Viris Rotae unum Gabrielem ſelegit, qui hac in re omnium graviſſima aſſiſteret; quo in munere, tam ſapienter ſe geſsit, ut eum Patres literis ſuis Pontifici commendarent, magniſque laudibus ornarent. Abſoluta Synodo, cujus Hiſtoriam conſcripſit, Romam rediit; & cum praecipua quaedam Concilii Decreta, antequam ederentur, diligentius eſſent examinanda, Pontifex hoc ei onus impoſuit, ſocioſque laboris adjunxit Hugonem Boncompagnum, & Franciſcum Alciatum, quibuſcum paulo poſt eum Cardinalem creavit. Auctus ea dignitate S. Sedi utilem deinceps miniſtrum magis, ac magis ſe ſtuduit exhibere. Fortis per omnia rerum diſcrimina, caſuſque, ubi aliqua ex parte Reipublicae cauſam periclitari videret, in Senatu ſententiam ſuam nihil humana veritus, integre, libereque ſemper aperuit. A S. Pio V. Bononiae Epiſcopus renunciatus, commiſſam Eccleſiam, quam deinde Gregorius XIII. tanti Viri exiſtimatione ductus ad Metropoliticam dignitatem evexit, ſanctiſſime adminiſtravit. Clerum formavit antiquis inſtituris, ſacras aedes inſtauravit, pia loca auxit, & ditavit. Amplificandae Eccleſiaſticae Diſciplinae conſiliis, ſcriptis, hortationibus aſſidue incubuit, quippe qui S. Carolum ſibi propoſuerat imitandum. Pie obiit, ut vixerat, & ejus corpus Bononiam translatum in majori Eccleſia conditum eſt.

ANTONIUS CARAFA NEAPOLITANUS

BASILICAE VATICANAE CANONICUS

A S. PIO V. ANNO MDLXVIII. CR. DIAC. CARDINALIS
TIT. SANCTI EUSEBII.

OBIIT ROMAE 12. JANUARII 1591.

A Paulo IV. ejus gentili Baſilicae Vaticanae Canonicatu donatus eſt. Illo defuncto particeps calamitatum, quas Gens Carafa paſſa eſt, Canonicatu privatus, Patavium perrexit, ubi in Legum ſtudia incubuit. Hinc in ditionem paternam inter Brutios concedens, ſe divino ſervitio, & ſtudiis conſecrans, praeclara Commentaria Theodoreti ſuper Pſalmos, nonnulloſque alios Auctores in Pentateuchum, cum aliquibus Orationibus S. Gregorii Nazianzeni e Graeco in Latinum vertit pure, ac fideliter. Romam a S. Pio V. revocatus a ſecretis Cubiculi Pontificii admittitur, cognitaque incorruptorum morum ejus vita, ſingulari doctrina, atque animo pro Eccleſiaſtica libertate imperterrito, tanquam Pauli IV. dignus alumnus, & conſanguineus Cardinalis creatur. A Gregorio XIII. Bibliothecarius Apoſtolicus declaratus, Curatoribus praefectus eſt correctionum Decreti Gratiani, quod illius opera emendatius prodiit. Sedente Sixto V. emendandis Divinorum Bibliorum editionibus una cum aliquot eximiis viris egregie laboravit. Ejus induſtria Editio LXXII. Interpretum pene antiquata revixit. Oecumenica Concilia tam Latine, quam Graece ſcripta, in candorem priſtinum vindicavit, & Romanorum Pontificum Epiſtolas, magnum ſane Eccleſiae theſaurum, veluti e ruderibus effoſſum perpolivit, ac reſtituit. Collegii Graecorum Patrocinium ſuſcepit, & Maronitas multis affecit beneficiis. Ejus conſilium erat, ut ex proventibus Pontificii Aerarii pars aliqua ſeponeretur ſingulis annis pro accipiendis doctis viris paupertati obnoxiis, donec Eccleſiaſticis Beneficiis juvarentur. Vitam innocentiſſime tranſactam pari fine concluſit, & ad S. Silveſtrum in Quirinali ſepultus eſt, paucis his tumulo inſcriptis: ANTONII CARAFAE CARDINALIS SEPULCHRUM: quaſi ſolo nomine cetera Viri ornamenta innoteſcerent.

Digitized by Google

JULIUS ANTONIUS SANCTORIUS CASERTANUS

EPISCOPUS S. SEVERINAE

A S. PIO V. ANNO MDLXX. CR. PR. CARDINALIS

TIT. SANCTAE BARBARAE.

OBIIT ROMAE 7. JUNII 1602.

SAnctus Pius V., dum eſſet ſacrae Inquiſitionis Commiſſarius Sanctorium ſingulari doctrina, & integritate virum, acerrimum Fidei propugnatorem contra haereticos ſocium habuit. Pontiſex renunciatus eum primum S. Sevetinae Antiſtitem, mox Cardinalem creavit. Inter Sancti Officii Inquiſitores adſcriptus, in exequendo munere ſemper fuit vigilantiſſimus, & caritate ſervens indefeſſi laboris. Dona quaevis tamquam juſtitiae corruptelas, rejecit, aſſerens, abſtinentiam a muneribus aeque, ac continentiam a voluptatibus, Cardinali eſſe perneceſſariam. Congregationi pro Animarum converſione a Gregorio XIII., & Clemente VIII. Praeſectus, Cathechiſmum pro omnium nationum Cathecumenis compoſuit. Plura docte ſcripſit, quibus argumenta praebuit temporum ſuorum conditio. Poſt obitum Innocentii IX., cum Cardinales plurimi Sanctorium Pontificem creare decreviſſent; ille autem apud homines auſteritatis nimiae audiens, repulſam inopinanter paſſus eſſet, in eas anguſtias devenit, ut ſe ſequenti nocte ſanguine ſudaſſe, ipſemet in vitae ſuae commentariis ſcripſerit. Tanta eſt honorum cupiditas, quae ſummorum quoque hominum mentem perturbat, atque obfuſcat. Verum miſerante Deo in ſeſe receptus, cogitanſque omnia, quae ſub ſole ſunt, in auras evaneſcere, laeta fronte deſpexit, quae prius ducebat ampliſsima, nec ſolum omnem a ſe moleſtiam abjecit, ſed pro ſuis etiam adverſariis Divinum obtulit Sacrificium. Clemens VIII. tunc Pontifex electus illi ſummi Poenitentiarii munus contulit, quod zelo Apoſtolico adminiſtravit. Obiit ſeptuagenarius, & ſepultus eſt in Lateranenſi Baſilica.

Digitized by Google

V. PAULUS ARETIUS

MAMURRANI DIOECESIS CAJETANAE NATUS
CONGREGATIONIS CLERICORUM REGULARIUM THEATINORUM
EPISCOPUS PLACENTINUS
A S. PIO V. AN. MDLXX. CR. PR. CARDINALIS
TIT. SANCTAE PUDENTIANAE.
OBIIT NEAPOLI 17. JUNII 1578.

CUm ornatus ſcientiis, & egregius Juriſconſultus cauſarum Patronum ageret, vulgata ejus integritatis ſama Neapolim ad Regium Conſilium vocatus eſt, ac judex conſtitutus incorrupte Jus dixit, quin & litigantium pauperum egeſtati conſulens, crebro ipſis opitulabatur, ac perſaepe pecuniam ad juſtas ſuas lites agitandas largiebatur. Relicto Foro, ut Deo liberius ſerviret, Clericis Regularibus ſeſe adjunxit. A Senatu, Populoque Neapolitano pro magni momenti negotiis ad Philippum II., addito Pii IV. mandato profectus, omnia, quae ſibi commiſſa fuerant, ex animi ſententia perſecit. Oblatas a Rege Epiſcopales Inſulas invicta conſtantia rejecit, munera reſpuit, & honores ſibi decretos ſuga eluſit. Sanctus Pius V. invitum quammaxime Placentinae Eccleſiae praeſecit, eumque ſanctiſſimi Praeſulis officio ſungentem in Cardinalium numerum adſcripſit. A Gregorio XIII. ad Cathedram Neapolitanam translatus, ejus Eccleſiae dignitatem pene collapſam reſtituit. Eximia prudentia, & in tractandis negotiis dexteritate eluxit. In expugnandis Eccleſiaſticae Immunitatis hoſtibus ſortiſſimus, nullos labores reſugit, nulla pericula formidavit. Paſtor priſcis illis ſanctiſſimis Epiſcopis merito comparandus; cujus obitu dolens S. Philippus Nerius dixit: Rari nunc ſunt homines, qui ſciant, velint, habeantque illum animarum, divinique honoris zelum, quo Cardinalis Aretius praeſtabat.

HIERONYMUS ALBANUS BERGOMENSIS

PROTONOTARIUS APOSTOLICUS

A S. PIO V. ANNO MDLXX. CR. PR. CARDINALIS

TIT. S. JOANNIS ANTE PORTAM LATINAM

OBIIT ROMAE 25. MAJI 1591.

JUventute prope omni in legali ſcientia tranſacta, animum ad militiam convertit, ac tantum in ea profecit, ut a Republica Veneta primos ejus artis honores conſequeretur. Plures filios habuit, qui Patris virtutem imitati magnis ſenſim dignitatibus aucti ſunt. Orbatus conjuge, cum pari ſcientia, & morum probitate Patriae eluceſceret, inivit amicitiam cum Michaele Ghislerio tunc Bergomi agente, eique contra haereticos Inquiſitori egregiam operam navavit. Michael creatus Romanus Pontifex, Hieronymum protinus ad ſe venire juſſum, primum Protonotarium Apoſtolicum, deinde Piceni Gubernatorem, demum Cardinalem renunciavit. Ad Principes Chriſtianos pro ineundo adverſus Turcas foedere Legatum miſit. Spe ſua minime fruſtratus eſt; nam tantae molis negotium Hieronymi ſuaſu, & opera brevi confectum eſt. Vir fuit excelſi animi, recti judicii, reconditae ſapientiae, & eloquentiae ſingularis. In dando ſuffragio, quod aequum putaret, immutabilis, maximeque liber propugnavit. Obiit in ſumma ſenectute, relictis praeclaris Juriſprudentiae monumentis, & in Templo S. Mariae de Populo tumulatus eſt.



A N D R E A S   A B   A U S T R I A

A GREGORIO XIII. ANNO MDLXXVI. CR. DIAC. CARD.

TIT. S. MARIAE NOVAE.

OBIIT ROMAE 12. NOVEMBRIS 1600.

FErdinandi Archiducis Auſtriae filius, a puero animum pietate, & religione, ingenium humanarum, divinarumque rerum cognitione excoluit. Decimumſeptimum aetatis annum agens, Vaticani Senatus honore donatus, cum Geberardus Truchſeſius Archiepiſcopus Colonienſis a Catholica Eccleſia defeciſſet, totius Germaniae Legatione inſignitur. Eccleſias Conſtanſienſem, & Brixinienſem regendas accepit, & a Catholico Rege Belgii Gubernator conſtitutus, magnarum ubique virtutum exempla reliquit. Ad varia loca, Chriſtianae Religionis monumentis illuſtrata peregrinationes obire ſolitus, ſeculari anno Romam conceſſit, & ignotus ſine ulla pompa, ſine comitatu, ſacco peregrinorum more amictus Sacras Baſilicas pedes, ac jejunus viſitabat. Agnitus a Cardinali S. Georgii, noctu ad Pontificem perductus, alter alteri lacrimas in amplexu pietatis elicuit. Deinde Neapolim S. Januarii caput, & ſanguinem veneraturus perrexit; familiaribus frequenter dictitans, ſe votorum omnium fore compotem, ſi Deo placeret, ſe ab hoc ſeculo nequam eripere. Exauditus eſt; nam Romam reverſus in morbum incidit, & Sacramentis ab ipſo Pontifice rite munitus ex terrena peregrinatione in Caeleſtem Patriam migravit, incredibili deſiderio ſui apud omnes relicto. Publico funere elatus eſt in Eccleſia S. Mariae de Anima, & Pompejus Ugonius oratione funebri juſſu Pontificis illi parentavit.

Digitized by Google

GERARDUS GROSBECANUS

EPISCOPUS LEODIENSIS

A GREGORIO XIII. AN. MDLXXVIII. CR. PR. CARD.

OBIIT LEODII 1. JANUARII 1579.

EX illuſtri progenie natus, Leodienſibus primum Canonicis annumeratur, deinde cum in rebus gerendis magna prudentia floreret, & rara ejus pietas Civibus perſpecta eſſet, per omnes gradus ad Eccleſiae illius Epiſcopatum aſcendit. In tam ampla locatus dignitate, id maxime procuravit, ut liberaret periculis probos, revocaret a flagitiis improbos, opem ferret ſupplicibus, coenobia, & ſacra aedificia extrueret. De re Catholica optime mereri ſemper ſtudens, ingentem pietatis ſuae, ac defendendae religionis gloriam eſt conſecutus. In tumultu illo Belgico, in quo omnia ad interitum properare videbantur, ut non modo Dioeceſim ab hoſtium improbitate tueretur, verum etiam ut virus illud haereſeos, ubi ſedem fixiſſe videbatur, extirparet, ſummis viribus contendit. Orangium a Leodii ſuburbiis expulit, & ſeditionem in Civitate Huana ditionis ſuae exortam, ſumma uſus benignitate extinxit. Iratam Trajectenſibus Margharitam Parmenſem, Gubernatricem Belgii, reconciliavit. Cum haeretici, inter quos eminebant plurimi nobiles pauperes, Gallico nomine vocati Gheuſii, Civitatem Leodienſem ſibi dolo, & vi ſubjicere conarentur, ita ſe ſtrenue oppoſuit, ut illam profligatis hoſtibus integram conſervaret. Fortitudine demum Apoſtolica difficillimis temporibus commiſſum ſibi gregem ad veram Catholicae Fidei inſtitutionem penitus reduxit. Hinc cum Gerardi nomen per orbem terrarum glorioſe percrebuiſſet, a Gregorio XIII. Cardinalis creatus eſt, quem honorem non ſibi, ſed Eccleſiae Leodienſi delatum fuiſſe prae humilitate interpretatus eſt. Quae in Epiſcopatu dederat illuſtria documenta virtutum, tali ornatus dignitate aucturus erat, niſi mors in ipſo Cardinalatus limine conceptam expectationem praecidiſſet.

JO. ANTONIUS FACCHINETTUS BONONIENSIS

PATRIARCHA HIEROSOLYMITANUS

A GREGORIO XIII. ANNO MDLXXXIII. CR. PR. CARD. TIT. SS. QUATUOR CORONATORUM,

QUI POSTEA INNOCENTIUS PP. IX.

OBIIT ROMAE 30. DECEMBRIS 1591.

COnfecto in patrio Gymnaſio ſtudiorum curſu, ab Alexandro Cardinali Farneſio in familiam receptus, Avenionem miſſus eſt, ubi ipſius Farneſii ejus tunc Civitatis Epiſcopi vices geſſit. A Pio IV. Eccleſiæ Neocaſtrenſi praefectus, Tridentino Concilio interfuit, in quo doctrinae, prudentiaeque ſingularis, ac zeli, & religionis egregia dedit ſpecimina. Mox ſub Sancto Pio V. Nuntius Apoſtolicus Venetiis, in foedere, quod ab ipſo Pontifice, Rege Catholico, & Republica adverſus Turcas ictum eſt, impigre, & eximie laboravit. Ineunte Gregori XIII. Pontificatu, ad ſuam regendam Eccleſiam iter arripuit, ibique mirabili morum exemplo ſuis praeluxit. Mox ab ipſo Gregorio Romam revocatus, Patriarcha Hieroſolymitanus, deinde Cardinalis renuntiatur. Defuncto Gregorio XIV. Facchinettus mirabili celeritate, ſecundo ſcilicet Comitiorum die, ſumma totius Urbis acclamatione, & gratulatione, ſupremo Petri Solio dignus eſt judicatus. Cum extemplo, ut mos eſt, multae gratiae a Cardinalibus poſtularentur, ille ſe nihil indulturum reſpondit, quod non mature, & conſulto perpendiſſet. Ita ad omne genus pietatis propenſus erat, ut cum in ſuis, ac ſuorum rebus parciſſimus videretur, in iis, quae ad Dei cultum, ac Religionem ſpectarent, ita erat profuſus, ut nullum neque modum, neque finem largitioni praeſcriberet. Gregorianae laudis aemulator, atque utinam aetatis particeps, cogitabat de extirpandis haereſibus, & de Ethnicis, ac Turcis ad Fidem convocandis: ſed plura molientem, quae nova Summi Pontificis Dignitas efflagitabat, luctu omnium mors inopinata extinxit.

JOANNES BAPTISTA CASTANEUS ROMANUS

ARCHIEPISCOPUS ROSAN.

A GREGORIO XIII. ANNO MDLXXXIII. CR. PR. CARD.

TIT. S. MARCELLI,

QUI POSTEA URBANUS PP. VII.

OBIIT ROMAE 27. SEPTEMBRIS 1590.

DUos praeſtantiſſimos Cardinales Avunculos Dominicum Jacobatium, & Hieronymum Verallum adoleſcentiae cuſtodes, & inſtitutores nactus, Juris ſcientia, aliiſque gravioribus diſciplinis animum expolivit, & virtutibus exornavit. Roſſanenſem Eccleſiam Veralli ceſſione regendam a Julio III. ſuſcepit. Ad Tridentinam Synodum mittitur cum Legatis, quos Pius IV. monuiſſe fertur, ne inconſulto Caſtaneo quidquam, quod alicujus momenti eſſet, decernerent. Tanta de eo erat apud Pontificem aeſtimatio. Sedente S. Pio V. apud Philippum II. Hiſpaniarum Regem Nuntius, ardua negotia, quae fruſtra alii tentaverant, tractavit, confecitque, ut & Regi jus ſuum redderetur, & Pontificis auctoritas ſartatecta ſervaretur. Foedus contra Turcas inter S. Pium, Philippum, & Rempublicam Venetam ſtabilivit. A Gregorio XIII. Venetias Nuntius deſtinatur, deinde Coloniam Ubiorum, ut pax S. Sedi honorifica inter ſoederatos Belgas, & Philippum Regem ſanciretur. Tot Legationibus egregie perſunctus, ac Purpura decoratus, defuncto Sixto V. Eccleſiae Catholicae praeficitur. Magna fuit ex hac electione Populi Romani laetitia; nemo enim fuit, qui ſub tali Principe, cujus clementia omnibus explorata erat, non optima quaeque ſperaret. Diffidentium Chriſtianorum Regum arma pacare, Religionem amplificare, juſtitiam tueri, miſericordiam exaltare, cunctaſque optimi Paſtoris, & Principis partes explere decreverat. At decimo tertio die poſtquam electus eſt, pientiſſime obiit Vir magnorum deſideriorum, Urbe in incredibili moerore relicta.

Digitized by Google

ALEXANDER MEDICES FLORENTINUS

ARCHIEPISCOPUS FLORENTIAE

A GREGORIO XIII. ANNO MDLXXXIII. CR. PR. CARD.

TIT. SS. QUIRICI, ET JULITTAE,

QUI POSTEA LEO XI. P. M.

OBIIT ROMAE 27. APRILIS 1605.

EX Gente Medicea in familia Ducum Octaviani natus, pro Coſma I. Magno Hetruriae Duce gentili ſuo, ad S. Pium V., deinde ad Gregorium XIII. Orator, utrique gratiſſimus extitit. Primum Piſtorienſis Epiſcopus, hinc ad Florentinam Sedem translatus, Sacro Collegio adſcribitur. A Clemente VIII. in Gallias ad Henricum IV. Francorum Regem, qui nuper per Procuratores Oſſatum, atque Perronium Abſolutionis Apoſtolicae beneficium acceperat, cum poteſtate Legati a Latere miſſus, ut Rex ea omnia chirographo ſuo confirmaret, quae illius nomine Romae promiſſa fuerant, ac pacem inter illum, & Hiſpaniae Regem ſtabiliret, omnia feliciſſime, atque ex Pontificis ſententia perfecit. In Italiam reverſus, cum Ferrariam, ubi Clemens tunc degebat, tenderet, Cardinalibus obviam prodeuntibus honorificentiſſime exceptus eſt. Defuncto Clemente Pontifex ſalutatus, Leo Undecimus appellari voluit, renovata Leonis Decimi populo Romano gratiſſima ob liberalitatem memoria, parem & ipſe, ſi diutius vixiſſet, conſequuturus: utpote qui erga pauperes profuſus erat, & in omnes gratioſe munificus. Conceptam laetitiam paulo poſt funeſtiſsimus dolor excepit, cum ille ſeptimo & viceſimo Pontificatus die e vivis ereptus eſt. Moriturus adduci non potuit, ut nepotem ſuum ex fratre, quem penes ſe educaverat, & unice diligebat, Cardinalem crearet; id licet petentibus nonnullis Cardinalibus, & etiam Regiis Legatis flagitantibus, interpoſita inſuper *Confeſſarii* ſui auctoritate; quem Leo iſta ingerentem longe repulit, & ad ſe amplius accedere non paſſus eſt, quem magis indulgere rebus propinquorum, quam animae ſuae ſaluti conſulere cognoviſſet. Quo vere egregio, & ſingulari virtutis exemplo, conceptam de vita anteacta aeſtimationem confirmavit.

ANTONIUS MARIA SALVIATUS ROMANUS

EPISCOPUS S. PAPULI IN GALLIA

A GREGORIO XIII. ANNO MDLXXXIII. CR. PR. CARD. TIT. S. MARIAE DE PACE.

OBIIT ROMAE 18. MARTII 1602.

ADoleſcens bonarum artium, & J. U. ſcientia ornatus, honeſtate morum toto vitae curſu enituit. S. Papuli in Gallia Epiſcopus Tridentino Concilio interfuit. Eo abſoluto Eccleſiam ſuam dimiſit, ut contra repentem haereſim ejuſdem gubernacula viro Gallicae Nationis opportunius committerentur. Carolo IX., ejuſque matri Catharinae, quam affinitate contingebat, percarus, apud eos Nuncii S. Sedis munere fungitur. Ejus opera factum eſt, ut felici Catholicae Religionis ſucceſſu, inter Hiſpaniae, & Galliae Reges conveniret, & ſummo navium Praefecto Colineo, ejuſque ſectae aſſeclis e medio ſublatis, impiorum temeritas, & haereticorum audacia reſraenaretur. A Sixto V. Bononiae Legatus conſtitutus, imitatus magnanimum Pontificem, Provinciam quae frequentibus exulum, ac ſceleſtorum hominum turbis vexabatur, tranquillitati reſtituit, partim caeſis, partim captis tantae calamitatis auctoribus. Magna fuit Salviati & gratia, & auctoritas apud Pontifices: nullum tamen ab iis pro tantis laboribus praemium optavit, nihil accepit, quo res ſua creſceret; communi plurimum, ſuae minimum utilitati ſemper conſulens. Nullum ſupplicem paſſus eſt abire indonatum, & inopia preſſos, & prae verecundia non ſe prodentes exquiſivit, ac liberalitate erexit, & recreavit. Xenodochia Incurabilium, & S. Rocchi amplificata, Templa conſtructa, & illud praecipue S. Mariae in Aquiro, a fundamentis erectum, adjecto pro Orphanis Hoſpitio, & Collegio, aliaque in Urbe monumenta, religionem ejus, ac munificentiam nulla ſinent oblivione deleri. In Templo S. Jacobi a ſe magnifice erecto regia pompa ſuneratus eſt.

Digitized by Google

FRANCISCUS DE JOYOSA

IN GALLIA NARBONENSI NATUS

A GREGORIO XIII. ANNO MDLXXXIII. CR. PR. CARD. TIT. S. SILVESTRI,

DEINDE EPISCOPUS OSTIENSIS.

OBIIT AVENIONE 23. AUGUSTI 1615.

NAtus ex ſamilia affini Galliae Regibus, & inter ſtudia literarum magno profectu educatus, adhuc adoleſcens Archiepiſcopus Narbonenſis inauguratur, & anno aetatis vigeſimo ſecundo in Cardinalium numerum cooptatur. Erepto e vivis Henrico III. in Provinciam Narbonenſem ſe contulit, ut ei inteſtinis malis laboranti ſuccurreret, & Henricum fratrem ſuum haereticos bello acerrimo inſequentem conſiliis moderaretur. Ad Toloſanam Eccleſiam promotus, celebrata Synodo, diſciplinam Eccleſiaſticam ex Concili Tridentini Decretis ſtatuit. Apud Clementem VIII., ut electionem Henrici IV. ratam haberet, plurimum contulit. Ad Eccleſiam Rothomagenſem translatus, ſanctiſſimis eam inſtitutis, & multis largitionibus ornavit. Imminentia bella prudentia ſingulari avertit, ortas ſeditiones compoſuit, inimicitias pacavit. Henrici IV. juſſu Romam, ac Venetias ſe contulit, ad componendas graves controverſias, quae inter Romanum Pontificem, ac Rempublicam Venetam intercedebant, quod eo ſucceſſu perfecit, quem & ingenium ejus, & ſapientia ſpondebant. Mariam Mediceam Reginam coronavit, ſacravit Ludovicum XIII., & Cleri nomine Generali Galliae Conventui praeſedit. In Templa, Religioſaſque Familias, in Seminaria pauperum, alioſque pios uſus, ducenta, & eo amplius aureorum millia ex teſtamento diſtribuit. Sincera pietate, & liberalitate populis, Pontificibus, ac Regibus cariſſimus fuit æquitate judicii, & animi integritate.

AUGUSTINUS VALERIUS VENETUS

EPISCOPUS VERONENSIS

A GREGORIO XIII. ANNO MDLXXXIII. CR. PR. CARD.

TIT. S. MARCI,

DEINDE EPISCOPUS PRAENESTINUS.

OBIIT ROMAE 23. JUNII 1606.

BErnardi Naugerii Cardinalis ampliſſimi ex ſorore nepos ab ejus latere non prius diſceſſit, quam omni doctrina excultus diſciplinarum orbem impleviſſet. Veronae Epiſcopus factus nihil tale cogitans, perpetuis excubiis gregi ſibi a Deo credito invigilavit. Nominis ejus ſama longius crebreſcens, animos praeſtantiſsimorum Cardinalium Palaeotti, ac Borromaei occupavit: quibus efflagitantibus Auguſtinus in Purpuratorum Patrum Ordinem cooptatur a Gregorio in ſeptima ſua Cardinalium creatione, ſocius datus Caſtaneo, Sſondrato, Facchinetto, & Mediceo, omnibus poſtea Pontificibus Maximis. Totus Eccleſiaſticae vitae addictus, praeſtans forma corporis, morum integritate eximius, atque venerandus, pectoriſque admodum ſinceri, & candidi, & cui cum ambitione nihil rei eſſet, tam prono favore Romae cultus eſt, ut mortuo Urbano unanimis meliorum conſenſio illum ad ſummum Honorem extolleret. Benemerentis decus turbavere paucorum conſilia, eo non aegre ferente, qui habere ſe illis gratias maximas dixit, quorum beneficio vacaret tam ſublimi, & oneroſo munere, ut ei ferendo imparem ſe eſſe profiteretur. Propenſa deinde magis, ac magis voluntate tanto viro blanditus eſt favor hominum, & Pontifices ipſi non parum illius gratiae tribuerunt, plurimum auctoritati. Ortum inter Paulum V., & Rempublicam Venetam diſſidium Valerius omni ſtudio cum utriſque agendo ſedare contendit, habito de tanto negotio in Conſiſtorio, ſermone, dataque Venetis Epiſtola hortatoria, quae dum in Senatu legeretur, fere omnibus excuſſit lacrimas, & Pater Patriae appellatus eſt. Inſtantium malorum dolore morbo affectus eſt, quo patientiſſime tolerato deceſſit. Vir ſanctitate, & zelo animarum antiquis Patribus coparandus, nec inferior doctiſſimis, ut teſtantur innumera ejus ingenii monumenta, quorum argumenta omnia fuerunt res ſacrae, & mores. Ejus corpus Veronam in Cathedralem ſuam translatum eſt.

VINÇENTIUS LAUREUS

TROPEAE IN CALABRIA NATUS

EPISCOPUS MONTIS REGALIS IN SUBALPINIS

A GREGORIO XIII. ANNO MDLXXXIII. CR. PR. CARD.

TIT. S. MARIAE NOVAE.

OBIIT ROMAE 19. DECEMBRIS 1592.

MAgno ingenio praeditus humanarum literarum, & praecipue Sacrae Theologiae ſcientiam incredibili propemodum celeritate aſſecutus Romam venit, ut opportunum ſibi vitae inſtitutum deligeret. Illum Cardinalis Turnonius familiarem adſcivit, ac ſecum in Galliam adduxit, ut ejus virtutes Regiae Aulae notas faceret. Tanto Patrono orbatum Hippolytus Eſtenſis Sedis Apoſtolicae Legatus excepit, ejuſque operam adhibuit, ut Antonium Navarrae Regem in avitae Fidei defenſione firmaret. A S. Pio V. Montiſregalis Epiſcopus declaratus, ad Mariam Scotorum Reginam Nuntius decernitur, ut ei conſiliis, & auctoritate in Catholicae Religionis defenſione opitularetur. Deſperatis in Scotia rebus ad regendam Eccleſiam ſuam reverſus, incredibili vigilantia, & dexteritate Dioeceſim erroribus expurgavit. Nuntius ad Emanuelem Philibertum Sabaudiae Ducem, auctor ſuit, ut haereticos a Subalpinis regionibus expelleret. Eodem munere functus apud Henricum Valeſium, & Stephanum Batoreum Poloniae Reges, effecit, ut Religio Catholica, & Sedis Apoſtolicae auctoritas in illis regionibus integra ſervaretur. Virtutibus & multiplici ſcientiarum lumine refulſit. Nihil ei antiquius ſuit ſinceritate, qua ſententiam ſuam aperte, confidenterque diceret, addere ſolitus, praeter juſtum, honeſtumque, nihil eſſe quaerendum. Tumulatus eſt ſine pompa, ut praeceperat, in Aede S. Clementis.

ALEXANDER PERETTUS DICTUS MONTALTUS ROMANUS

A SIXTO V. ANNO MDLXXXV. CR. DIAC. CARD.
TIT. S. HIERONYMI,

DEINDE EPISCOPUS ALBANENSIS.

OBIIT ROMAE 2. JUNII 1623.

EX Familia Damaſcena natum Sixtus V. ejus Avunculus adoptavit in ſuam, & admodum adoleſcentem vix dum explentem XIV. annum, ſed non dubiae ſpei, initio Pontificatus Cardinalem creavit. Montaltus cognominatus eſt, quod Sixtus ipſe dum Cardinalis eſſet, a patria ſibi cognomen indiderat. Fulgentem Senatorio honore Sixtus opulentiſſimis Sacerdotiis auxit uſque adeo effuſe, ut in eo nimius pleriſque viſus ſit. Alexander quamvis tenui, atque humili fortuna innutritus, demerendis hominibus natus apparuit. Nam ejus liberalitas nulla fuit neque locorum, neque temporum ratione, aut modo contenta, maxime in eos, qui a profitenda paupertate ingenuo pudore deterrentur, ſuaque in occulto miſeria anguntur. Virgines centum quotannis dotavit, & plurimos alieno aere gravatos pecunia ſua ſublevavit. Praeter hanc in homines liberalitatem, ingentes opes in cultum Dei, & Caelitum erogavit. Templum Sancti Andreae mole, & cultu auguſtum in Urbis centro a fundamentis excitavit. Inerant ejus animo & alia maximarum inſignia virtutum. Petentibus plus praeſtare ſolitus, quam polliceri; firma autem, atque immota promiſſorum fide; multos ſola doctrinae, aut probitatis fama commendatos ſibi, & auctoritate, & gratia, qua pollebat apud Pontifices Maximos, proferre; navatam ab ſe operam non ſolum, quod fere fit, non venditare, ſed ne verbo quidem indicare iis, quos ſtudioſe juverat: & plerique adjutos ſe, provectoſque commendatione ejus, de aliis reſciverunt: ſcilicet officioſus, & munificus eſſe, quam haberi malebat. Avunculum imitatus omnia ſua cogitata, conſilia, acta eo potiſſimum contulit, ut S.R.E. honor apud omnes, & auctoritas valeret. Ceſsit e vita anno aetatis LIV. publico nec antea, nec deinceps uſitato luctu totius Urbis, quae anniverſariam diem ejuſdem obitus recolendam indixit, expoſitiſque ante fores doloris, ac moeſtitiae ſignis in plures annos produxit. Jacet ad magnum Avunculum ſuum Sixtum V.

A S C A N I U S   C O L U M N A

A SIXTO V. AN. MDLXXXVI. CR. DIAC. CARD.

TIT. SS. VITI, ET MODESTI,

DEINDE EPISCOPUS PRAENESTINUS.

OBIIT ROMAE 17. MAJI 1608.

MArci Antonii Paliani Ducis rerum praeclare geſtarum gloria clariſſimi filius, Patrem animi magnitudine aequavit. Romae humanioribus literis inſtructus, ſcientiis operam navavit in Academiis Hiſpaniae, ubi amicitiam iniit cum Beato Joſepho Calaſanctio condiſcipulo ſuo, qui poſtea Romae in Aſcanii ipſius, Columnenſiumque Principum aedibus Scholarum Piarum fundamenta poſuit, tradito ſibi in primum diſcipulum Philippo Columna Excellentiſſimae Familiae filio primogenito. Philippo II. Hiſpaniarum Rege poſtulante Aſcanius in Collegium Cardinalium cooptatus, ſummum gradum tenuit & dignitatis, & gratiae. Regno Tarraconenſi pro Rege praefuit, illudque ſumma cum aequitatis laude adminiſtravit. Vivido, acutoque ingenio, memoria, prudentia, ac dicendi venuſtate ita floruit, ut nemo in ſacro Senatu ſententiam diſertius, facundiuſque diceret. Familiae, & Paternae gloriae cultor eximius, regioque prope cultu, ac ſplendore imprimis clarus, inſignem domi ſuae Bibliothecam conſtruxit, viroſque eruditione, & integritate praeditos, humanitate, ac beneficiis ſibi conciliavit, penituſque devinxit. Hinc Princeps literatorum appellatus eſt, nec immerito: multa enim ſcripſit eorumdem judicio maxime comprobata. Prope quinquagenarius deceſſit magna eorum comploratione, & in Lateranenſi Baſilica a ſe beneficiis ornata conditus eſt non longe ab cineribus Magni Gentilis ſui Martini V.

Digitized by Google

GUILIELMUS ALANUS ANGLUS

A SIXTO V. ANNO MDLXXXVII. CR. PR. CARD.

TIT. S. MARTINI IN MONTIBUS.

OBIIT ROMAE 17. OCTOBRIS 1594.

NObilibus ortus parentibus, familiam ſuam, & patriam doctrina, ac pietate decoravit. Oppugnata in Anglia ab haereticis, & Eliſabetha Regina, Catholica Religione, ſolus perterritis ceteris in aciem prodiens, furentium adverſariorum impetus ſtrenue excepit. Alios cohortando, ut in Rom. Pontificis fide permanerent, alios qui defecerant, revocando, cum voce, tum editis pro temporis neceſſitate variis libris, eam multis animi conſtantiam injecit, ut pugnantes pro fide carceres, & patibula ſubire non formidarent. Ipſe non ſemel ab inimicis ad necem inquiſitus, divina ope evaſit, & in Belgium ſe recepit. Ibi Duacenſe, poſtea in Gallia Rhemenſe Seminarium inſtituit, quo juvenes inſtituerentur, qui ſibi ſuccedentes Patriae ſaluti providerent. Opus illud numero Alumnorum celebre Philippus II. Hiſpaniarum Rex liberalitate, & Gregorius XIII. ſummis proventibus foverunt. Ab eodem Gregorio Alanus Romam vocatus, Rector Collegii Anglorum a ſe in antiquo ejuſdem Nationis Hoſpitio erecti, conſtitutus eſt. Sixtus V. ſacram ei Purpuram jam a Gregorio decretam, nec expectanti, nec opinanti contulit, ut tanto Viro ſacri Collegii ſplendorem augeret. Gregorius XIV. Bibliothecarium Apoſtolicum declaratum ad reformationem Sacrorum Bibliorum ſub Sixto inceptam, cum Cardinali Marco Antonio Columna deputavit. Scientiae, moderationis, & integritatis fama & exemplo clarus Romae exceſſit è vita inter lacrimas Anglorum pro Religione exulum, quorum columen fuit, perpetuumque praeſidium. Jacet in Templo Nationis ſuae.

Digitized by Google

FEDERICUS BORROMAEUS MEDIOLANENSIS

A SIXTO V. ANNO MDLXXXVII. CR. DIAC. CARD.

TIT. S. MARIAE IN DOMNICA.

OBIIT MEDIOLANI 21. SEPTEMBRIS 1631.

SAncti Caroli conſobrinus, & illius virtutum locupletiſſimus heres, S. Philippum Nerium conſcientiae moderatorem, & ducem habuit, a cujus latere quoad Romae fuit, raro diſceſſit. Anno aetatis vigeſimotertio illum Sixtus V. ad univerſae Italiae vota in Sacrum Collegium adſcripſit, eumque editioni veterum Conciliorum, ſacrorumque Bibliorum emendationi præfecit. A Clemente VIII. ad Mediolanenſis Eccleſiae regimen promotus, verus Paſtor ſuum gregem nunquam deſeruit, & Dei Legationem obivit docendo, concinandoque frequentiſſime, & omnia caritatis officia, quae e ſuggeſtu pronunciabat, operibus confirmavit. Decor ſacrarum Aedium, obſervantia Eccleſiaſticorum Rituum, Clericalis officii ſtudium, ardor divini cultus ei maximis in deliciis fuerunt. Selectiori eruditione, & linguis pluribus ornatus, Sacriſque Scripturis toto pectore mancipatus multa confecit volumina, quae ſuppreſſit vivens, typis mandari moriens non recuſavit. Quicumque ſanctitatis, & doctrinae laude praeſtarent, eorum amicitiam appetivit, fideliterque coluit. Bibliothecam ab eo Ambroſianam vocatam conquiſitis tota Europa libris collegit magnis ſumptibus, ſimulque Collegium inſtituit, in quo praeclara excolerentur ingenia ad liberales artes, Chriſtianamque Religionem ſuis laboribus illuſtrandam. Indigentibus erogavit large, & pro munere ſuo omnium calamitatem, moleſtiaſque levare ſategit. Ejus vita non ſecus, atque S. Caroli, in exemplum ſimul, & admirationem adhuc Mediolanenſi populo proponitur.

JOANNES FRANCISCUS MAUROCENUS VENETUS

EPISCOPUS BRIXIEN.

A SIXTO V. ANNO MDLXXXVIII. CR. PR. CARDINALIS TIT. SS. NEREI, ET ACHILLEI.

OBIIT BRIXIAE 14. JANUARII 1596.

AMpliſſimas Legationes pro Republica ſingulari prudentia, excelſique animi magnitudine obivit in Sabaudia, Gallia, Hiſpania, Polonia, & Conſtantinopoli, ubi Chriſtianorum res mirifice promovit. Civili ſcientiae ſacram adjunxit, & ſingularem virtutem. Quamobrem a Gregorio XIII. deſignatum Epiſcopum Brixienſem Sixtus V. confirmavit, & in Galliam Nuntium Apoſtolicum miſit: cujus dum mandata proſequeretur, ad Henrici III. preces Cardinalem, eodemque die Legatum Pileo, & Cruce miſſa raro, aut nullo prorſus exemplo, pronunciavit, ut inter Regem, & Guiſiae Ducem ſimultates componeret. Hujus, & Cardinalis fratris caede patrata, Legatus quod oſcitanter negotium egiſſet, inſigni calumnia apud Pontificem traducitur. In Italiam reverſum Pontifex audire renuit. Quamobrem, nonnulli primarii Curiae Praeſules illum hortantur, ut ad pedes Pontificis ſupplex procidat, quibus Maurocenus ſuae ſibi innocentiae conſcius, & veritati fidens, malle ſe reſpondit quaſvis injurias perpeti, quam a ſe non admiſſa fateri. Superatis poſtea patientia, & virtute falſis criminum inſimulationibus in priſtinam Pontificis gratiam receptus eſt. Mox majoribus etiam titulis auctus, Germaniae, & Hungariae negotiis, rogante Caeſare praeficitur. Tandem a publicis curis abduci cupiens, Brixiam ſe contulit, ibique in Eccleſiae ſuae ſinu e vita migravit bonus Paſtor, & pauperum Pater, quos heredes ex aſſe inſtituit.

FRANCISCUS TOLETUS CORDUBENSIS

SOCIETATIS JESU

A CLEMENTE VIII. ANNO MDXCIII. CR. PR. CARD.

TIT. S. MARIAE TRANPSONTINAE.

OBIIT ROMAE 14. SEPTEMBRIS 1596.

INſtitutum Societatis Jeſu profeſſus propter religioſiſſimae vitae exemplum, prudentiam, & doctrinam omnium ore commendatus eſt. A S. Pio V. Concionator Apoſtolicus electus ad ſacrum Senatum mirabili zelo, & eloquentia per plures annos peroravit. Cardinali Commendono Legato ad Imperatorem Maximilianum II., hinc in Poloniam, a S. Pio ſocius datus eſt, ut in ſummis negotiis conſilio, ac prudentia eidem adeſſet. A Gregorio XIII. in Belgium miſſus plures, qui a Catholica fide deſciverant, in Eccleſiae ſinum reduxit. Sub Sixto V. Sacris Bibliis recognoſcendis operam navavit. Clemens VIII., cui a confeſſionibus fuit, eum renuentem, renuentibuſque Societatis ſuae Patribus, quibus lex eſt, ne ad honores promoveantur, Cardinalem pronunciavit. Ejus inprimis utili uſus eſt opera, & conſilio, maxime cum de Henrici IV. Regis in Eccleſiam regreſſu ageretur: qua in graviſſima deliberatone Toletus ſic ſe geſſit, ut Chriſtianae Reipublicae bono, & Sedis Apoſtolicae unice conſuleret, ea libertate, ut Hiſpano nomini nuntium remiſiſſe videretur, & ſe tantum S. R. E. Cardinalem eſſe meminiſſet. Paulopoſt defuncto, Lutetiae celebri officio, regiaque magnificentia parentatum eſt in majori Eccleſia B. V. Regis juſſu in animi grati teſtimonium. Plura ſcripſit exculto ſtylo, ac mirabili in ſacris literis explanandis ingenio. Nobili ſepulchro conditus eſt in Baſilica Liberiana, Sancta Dei Genitrice herede inſtituta.

FRANCISCUS MARIA TAURUSIUS POLITIANUS

CONGREGATIONIS ORATORII

A CLEMENTE VIII. ANNO MDXCVI. CR. PR. CARD. TIT. S. BARTHOLOMAEI IN INSULA.

OBIIT ROMAE 11. JUNII 1608.

SOrtitus eſt Franciſcus Maria animam bonam, cui Deus talenta tradidit plurima, & luculentiſſima. A Sancto Philippo Nerio ad Congregationem Oratorii vocatus, mirum eſt quantum eo magiſtro profecerit. Praeter alias dotes admirabilis in eo eluxit facundia, ut merito Dux Verbi nuncuparetur. A Sancto Pio V. comes datur Cardinali Alexandrino in Galliam, Hiſpaniam, & Luſitaniam Legato ad foedus contra Turcas conjungendum: quo in munere populis, quibuſcum verſatus eſt, exemplo, conſilioque maxime profuit. Clemens Avenionenſi Eccleſiae invitum, & reluctantem Apoſtolico juſſu praefecit, nec multo poſt Cardinalem renuntiavit. Tam claram virtutis ſuae lucem in Galliam ſubito effudit, ut Epiſcopi e remotis Regionibus ad eum, tamquam ad Eccleſiaſticae diſciplinae magiſtrum accederent. Romam evocatus ad Cathedram Senenſem transfertur. Quo tandem onere exolutus, omnique aulae negocio relicto in aedes Vallicellanas ſeſe apud ſuos recepit, ibique non ſine illuſtri virtutum, & ſignorum fama jam gravior annis ſpiritum Deo reddidit. Eum virum Apoſtolicum, & antiquae probitatis aemulum appellavit Cardinalis Baronius: cui cum in vita conjunctiſſimus fuiſſet, ne corpus disjungeretur in morte, commune habuit cum eo ſepulchrum.

ANNAS GIVRIUS GALLUS

ORDINIS S. BENEDICTI

EPISCOPUS LEXOVIEN.

A CLEMENTE VIII. ANNO MDXCVI. CR. PR. CARD. TIT. S. SUSANNAE.

OBIIT IN DIOEC. METEN. 19. APRILIS 1612.

NObiliſſimis Parentibus natus, ſpretis mundi illecebris Ordini S. Benedicti ſeſe addixit. Accedente ad merita virtutum doctrina, Abbas S. Benigni Divionen. eligitur, & Henrico III. promovente Eccleſiae Lexovienſi praeficitur. Coorta inter Regem, proceresque diſſenſione illa, qua gravia orthodoxae fidei damna illata ſunt, enituit maxime Annae zelus, amorque erga Catholicam Religionem, & S. Sedis auctoritatem, pro quibus cum in Gallia, tum Romae, quo ſe idcirco contulerat, totis viribus laboravit. In Galliam reverſum Clemens, qui praeſentis virtutem inſpexerat, ſola ejuſdem virtutis commendatione Sacro Collegio adſcripſit, ac tamquam veritatis, & Religionis propugnaculum in Gallia remanere juſſit, donec Henricus IV. Eccleſiae reconciliaretur. A Lexovienſi ad Metenſem Eccleſiam translatus eam miſere Calviniana lue infectam expurgavit. Inſignis Religione, & ſapientia, jure Eccleſiaſtico, divinoque cultu amplificato, diem obiit ab omnibus bonis vehementer comploratus. Hoc ejus eſt ab eodem Henrico prolatum Elogium: Fruſtra agitur cum Cardinali Givrio, ſi aliquid a ratione, & recto tramite devium ab eo poſtuletur.

Digitized by Google

V. CAESAR BARONIUS SORANUS

CONGREGATIONIS ORATORII

A CLEMENTE VIII. ANNO MDXCVI. CR. DIAC. CARD. TIT. SS. NEREI, ET ACHILLEI.

OBIIT ROMAE 30. JUNII 1607.

QUam ſpem in prima Caeſaris aetate homo, vel Angelus ſpopondit, qui parentibus dixit, futurum eſſe in Eccleſia magnum Virum, rei eventus comprobavit. S. Philippum Nerium vitae magiſtrum nactus coepit illico humana deſpicere, ac Caeleſtia deſiderare. Illo jubente Eccleſiaſticos Annales aggreſſus, immenſum opus, ſalebroſiſſimumque a Chriſti nativitate ad Innocentii III. tempora uſque feliciter perduxit. Alia etiam reliquit reconditae, miraeque eruditionis monumenta homo, quod maxime mirum eſt, ita omnibus Inſtituti ſui Officiis addictus, ut nullum praetermittere videretur. Clementi VIII. a confeſſionibus quaecumque publici boni cauſa facienda, aut omittenda duceret, ſincere, libereque manifeſtavit, cum id eſſe ſui muneris probe cognoſceret. Remotis prudenter obſtaculis, ſuperataque multorum invidia perfecit, ut tandem a Clemente Henricus Galliae Rex abſolveretur: qui ad teſtificandum ſuum erga Baronium, amorem, atque obſervantiam, ei defuncto regias plane exequias Pariſiis celebrandas curavit, quibus & ipſe interfuit. Cardinalis licet enixe reluctans creatus, veſtem mutavit, non mores, dignitatem conſocians cum humilitate, perpetuo ſui, ac mundi contemtu. Singulari voto ſe obſtrinxit, ut nihil unquam ageret, quo viam ſibi ad Pontificatum ſterneret. Hinc poſt Clementis VIII. obitum, Patribus id animo volventibus, ne ſe Pontificem crearent, fortiter reſtitit, Deoque publicas gratias egit, quod ſe a Vaticano Solio, quaſi ab imminente naufragio liberaviſſet. Pontificiae Dignitatis, Majeſtatiſque acerrimus propugnator fuit, & cum omni antiquitate gloria eruditionis, & pietatis comparandus. Tanta fuit opinio de illius virtute, & Sanctitate apud exteras gentes: ut multi ex remotiſſimis regionibus ad Urbem venirent, ut Baronium viderent, & quos ad contemplationem ſui Roma non traxerat, quod olim de Livio dictum eſt, unius hominis ſama perduceret. Jacet in Templo Vallicellano non longe a Magiſtro ſuo S. Philippo Nerio.

Digitized by Google

PHILIPPUS E DUCIBUS BAVARIAE

ADMINISTRATOR RATISPONEN.

A CLEMENTE VIII. ANNO MDXCVI. CR. PR. CARD.

OBIIT IN ARCE PATERNA DUCHAVII 18. MAJI 1598.

WIllelmi Bavariae Ducis Chriſtianae pietatis, & prudentiae gloria inclyti filius conjunxit cum praeclariſſimo genere literarum humanarum, ac divinarum, eximiaeque pietatis ornamenta. A tenera enim aetate perſpicax ingenium in liberalibus ſtudiis, animum vero ad Religionem factum in rerum Caeleſtium contemplatione ſedulo exercuit. Eum, & Ferdinandum fratrem, Colonienſem poſtmodum Archiepiſcopum, Romam venientes, populo Angelos in Urbem acceſſiſſe acclamante, Clemens regio more excepit. In Patriam reverſum Cardinalem pronunciavit. Hoc honore auctus, pietatem, moderationem, humanitatem, liberalitatem, tamquam Sac. Purpurae ſocias, & comites praeſetulit, habuitque familiares. Ratiſponenſis Eccleſiae quamprimum per aetatem licuit, regimen aggreſſus, ſpecimen dedit ſanctiſſimi praeſulis, ſtudioſe nitens comparare dotes omnes, quas in Epiſcopo requirit Apoſtolus. Nec ſpei defuiſſet, ſi mors tantum Eccleſiae bonum non invidiſſet. Sublatus eſt enim anno aetatis vigeſimo ſecundo, prius ſuos ad lectum lugentes conſolatus his verbis: Amici, ſuavius in Caelo victuri cur hinc abire cunctamur? Tanto adoleſcente dignum non erat ſeculum.



D O M I N I C U S   T U S C H U S

CASTELLANARII RHEGIEN. DIOECESIS NATUS

EPISCOPUS TIBURTINUS

A CLEMENTE VIII. ANNO MDXCVIII. CR. PR. CARD.

TIT. S. ONUPHRII.

OBIIT ROMAE 26. MARTII 1620.

MOdicis ortus parentibus, relictis prae inopia literarum ſtudiis fit miles, deinde fortuita Inſtitutionum Juris Civilis lectione, fori amore illectus, arma togae poſtpoſuit, & ad perfectam Juriſprudentiae ſcientiam aſſequendam totum animum appulit. Fortuna comite Romam venit, ubi cum integritatem, ac diligentiam ſuam omnibus probaſſet, quorum negotia parva mercede ductus procurabat, paulatim famam Juriſconſulti conſequutus eſt. Clemens eum Tiburtina Inſula decoravit, & deinde Almae Urbis Praefectum declaravit. Eo munere fideliter adminiſtrato magnis laudibus ornatum in Cardinalium Collegium adlegit. Ne ad ſummum Pontificatum perveniret, obſtitit ſermonis libertas, ac licentia, quam Patres ſeveriores non aequo animo ferebant. Repulſam incredibili animi magnitudine tulit, vel ob idipſum forte Pontificatu non indignus, quod ejuſdem ſibi quaſi e manibus elapſi deſiderio non magnopere commoveri viſus ſit. Nam continuo alacriter ad opus illud ingens Communium Concluſionum, quod inchoaverat, abſolvendum, typiſque mandandum ſe contulit. Obſcuros homines bono ingenio ad ſe venientes, humaniter excipiebat, & excitabat ad Juris Civilis ſtudium, honorum in Romana Curia ferax, ac frugiferum. De me, inquiebat, exemplum ſumite. Ego ex vulgari cauſidico multis antea honoribus functus, Urbis Gubernator, Epiſcopus, & Cardinalis evaſi: ac nihil propius eſt factum, quam ut Summus Pontifex fierem. Annos natus prope nonaginta, more ſenum, qui ſe annum ſemper victuros ſperant, animum adjecit ad domum in amoeno Urbis loco aedificandam: ſed accidit, ut antea hominem terra reciperet, quam domui faſtigium imponeretur. Jacet in medio Choro S. Petri in Janiculo ſub marmore his paucis inſcripto: *Dominici. Cardinalis. Tuſchi. Oſſa.*

ARNALDUS OSSATUS

IN AQUITANIA NATUS

EPISCOPUS RHEDONEN.

A CLEMENTE VIII. ANNO MDXCVIII. CR. PR. CARD. TIT. S. EUSEBII.

OBIIT ROMAE 14. MARTII 1604.

Siquis ita ortus obſcuro eſt loco, ut nullum poſſet neque cognatum, neque affinem demonſtrare, ita ut homo ex ſe natus eſſe videretur, is plane fuit Arnaldus Oſſatus, qui ingenio, doctrina, pietate, morum candore, & inſita prudentia a Deo largiſſime cumulatus, quae generi deerant, magna acceſſione ſupplevit. Romae in ampliſſimo Orbis theatro ceteros omnes familiae ſplendore, & aliis fortunae praeſidiis illuſtres aequavit, pleroſque ſuperavit, humanitate vero omnium amorem, & admirationem ſibi conciliavit. Omni diſciplinarum genere, inprimiſque Juriſprudentia, quam a Jacobo Cujacio acceperat, atque in fori luce ad uſum protulerat, ſingulariter ornatum Paulus Foxius Archiepiſcopus Toloſanus, ac Regis Galliae ad Pontificem Legatus, ſibi a ſecretis elegit. Eo mortuo ab Hyppolito Cardinali Eſtenſi inter domeſticos adlectus eſt, & per Legatorum Regiorum abſentiam Gallica negotia aliquoties procuravit. Quibus regnante Henrico III. tractandis cum ingenii perſpicitate, tum opportuna Romanae Curiae diſciplina, ea praebuit prudentiae argumenta, ut illum Henricus IV. Jacobo Perronio Ebroicenſi Epiſcopo collegam deſignârit, quocum apud Pontificem de ſua cum Eccleſia reconciliatione ageret. Arduam, difficilemque provinciam ita ſapienter geſſit, ut & Pontifici, & Regi ſatisfaceret, & Chriſtianae Reipublicae pacato Galliae Regno tranquillitatem reſtitueret. Regio poſtulatu in Cardinalium Ordinem cooptatus eſt ſummo Patrum conſenſu, ac plauſu. Hunc enim fatebantur jam diu virtuti ejus debitum honorem, quem ipſe ſapientia, integritate, officiorum in omnes propenſione, animi denique moderatione ſingulari exornavit. Ejus Epiſtolae luculenta praebent Religionis, civiliſque ſcientiae documenta. Tumulatus eſt in Aede S. Ludovici.

SILVIUS ANTONIANUS ROMANUS

A SECRETIS BREVIUM

A CLEMENTE VIII. ANNO MDXCVIII. CR. PR. CARD. TIT. S. SALVATORIS IN LAURO.

OBIIT ROMAE 16. AUGUSTI 1603.

NOminis novitatem virtuti non officere, argumento eſt ſatis claro Antonianus, qui nullis majorum titulis commendatus, ſed praeclaris animi bonis aditum ſibi ad Cardinalatum pateſecit. A S. Philippo Nerio in pietate a prima aetate inſtitutus, mirabili morum candore, atque innocentia tota vita eluxit. Liberalibus artibus, gravibuſque diſciplinis maxime excultus a Pio IV. inter familiares adſcitus, S. Caroli Cardinalis magiſter, & a ſecretis literarum Latinarum fuit, cum quo Mediolanum ſe inde contulit, & Mediolanenſis Concilii acta conſcripſit. Omnibus aetatis ſuae Pontificibus carus, ſuprema apud eos munera obivit ſumma cum integritate, fide, ac vigilantia. Itaque his dotibus effecit, ut verè dictum videatur: Sui cuique mores fingunt fortunam. A Clemente Octavo ſacro Purpuratorum coetui adſcriptus, re praeſtitit, quod ſolebat verbis proferre: Cardinalatum non ad delicias, & voluptates conferri, ſed ad collaborandum cum Sanctiſsimo Patre, & Paſtore in regimine univerſalis Eccleſiae: Purpuram non faſtus, & regiae ſuperbiae inſigne, ſed caritatis ignem erga proximum referre. Singulari fuit liberalitate, & in Urbis eluvione totam pecuniam effudit in pauperes. Saepe domi ſuae, & quotannis in Templo tituli ſui magno cum auditorum fructu concionabatur. Multa cum carminibus, tum ſoluta oratione docte, eleganterque ſcripſit, inter quae aureus eſt Liber de Chriſtiana puerorum educatione. Eum aegrotantem inviſit Clemens, ſublatum doluit cum Urbe univerſa, luxitque ex animo affirmans, nihil Silvii morte ſibi tunc gravius accidere potuiſſe. Jacet in Aede Vallicellana.

V. ROBERTUS BELLARMINUS POLITIANUS

SOCIETATIS JESU

A CLEMENTE VIII. ANNO MDXCVIII. CR. PR. CARD.

TIT. SANCTAE MARIAE IN VIA.

OBIIT ROMAE 17. SEPTEMBRIS 1621.

MArcelli II. P. M. ſororis filius Societati Jeſu adoleſcens nomen dedit, illamque prae ceteris Religioſis Familiis ſibi delegit, quod in ea ad honores Eccleſiaſticos lege occluſum iter eſſe didiciſſet. Multis cum Italiae, tum Belgii peragratis civitatibus, diſcendi, docendique cauſa, humanarum, divinarumque rerum ſtudiis, ac potiſſimum Graecae, Hebraicaeque linguae cognitione perpolitus eſt. A Sixto V. comes datus eſt Henrico Cardinali Cajetano Legato in Galliam, commiſſo ei Theologi munere; qua in Legatione a politicis conſultationibus, tamquam a rebus ab officio ſuo alienis, perpetuo abſtinuit, conſilium operamque ſolum navans in iis, quae ad conſcientiam, Religionemque ſpectarent. Editis adverſus ſui temporis haereticos pluribus, ac doctiſſimis libris nomen ſuum immortali memoriae conſecravit. Innocentium IX., qui ſtatuerat primis Cardinalium Comitiis in ampliſſimum Ordinem Robertum cooptare, eo multis precibus ac lacrimis impulit, ut ſponderet ſe neque proximis, neque aliis deinceps Comitiis aliquam ſui rationem habiturum. Sed humilis Servi Dei vota eluſerunt Divina conſilia: nam Clemens VIII. Robertum teluctantem Cardinalem renuntiavit, dictitans, ſe illum eligere, quod nullum eo tunc temporis cognoſceret in Eccleſia doctiorem. Capuanam Eccleſiam ſibi traditam ſanctiſſime adminiſtravit, moribus, continentia, pietate, innocentia excellenti ingenio, ac doctrinae perpetuo teſpondentibus. Jacet in Templo Societatis ſuæ SS. Nomini Jeſu dedicato.

JACOBUS PERRONIUS

IN NORMANNIA NATUS

EPISCOPUS EBROICEN.

A CLEMENTE VIII. ANNO MDCIV. CR. PR. CARD.

TIT. SANCTAE AGNETIS.

OBIIT PARISIIS 5. SEPTEMBRIS 1618.

NObilis genere, egregius forma, ingenio maximus jugi ſtudio viſus eſt ſcientiarum omnium principatum obtinuiſſe. SS. Patrum lectione veritatem edoctus ab erroribus Calviniſtarum, quibus a puero innutritus fuerat, emerſit, multiſque haereticis proceribus, ut reſipiſcerent, tum maxime Henrico IV. dux, & adjutor praecipuus fuit: quem cum Eccleſia reconciliare ſuſcepta ad Clementem VIII. Legatione procuravit. Publicis diſputationibus coram eodem Rege, & frequenti Principum, ac Patriciorum corona, Calvinianam haereſim ſingulari veritatis demonſtratione profligavit. De haereticis loquens dicere ſolebat ſuis: Hos ſi convinci cupitis, ad me perducite: ſi converſos, dirigite ad Epiſcopum Genevenſem: nempe ad S. Franciſcum Saleſium. Archiepiſcopus Senonenſis ſactus, & magnus Franciae Eleemoſynarius, praecipuiſque adhibitus negotiis, nihil, niſi quod ad publicam Sacerdotii, & Imperii tranquillitatem, & concordiam ſpectaret, & praecipue in generalibus Regni Comitiis, propugnandum ſibi propoſuit. Ejus praecipua opera Veneti, obmuteſcere juſſis diſſenſionis auctoribus, S. Sedi reconciliati ſunt. Quantus vir fuerit, oſtendunt graviſſima ſcripta, quae reliquit, cum eſſet nihilominus ſermone, & diſceptatione longe praeſtantior. Optime de Regno Galliae, univerſaque re Chriſtiana meritus, pie obiit, illud S. Auguſtini identidem repetens: *Ignoſce quod meum eſt, agnoſce quod tuum eſt*.

FRANCISCUS RUPEFUCALDIUS PARISIENSIS

EPISCOPUS SILVANECTEN.

A PAULO V. ANNO MDCVII. CR. PR. CARD. TIT. S. CALLISTI.

OBIIT PARISIIS 14. FEBRUARII 1645.

PRaeclariſſima familia ortus, atque ad liberalium artium, Eccleſiaeque diſciplinam inſtitutus omni virtute excelluit. Dignitatibus quibuſcumque par a prima juventute, eaſdem ablatas nonniſi Dei vocatione accipere viſus eſt. Ad Claramontanum primum, deinde ad Silvanectenſem Epiſcopatum promotus ita ſe geſſit, ut populi voce abſolutus numeris omnibus Antiſtes praedicaretur. Motus fama virtutum ejus Henricus Quartus, pro eo a Pontifice Cardinalis Inſignia poſtulavit, quamvis Henrico ipſi ad Regnum properanti, non ſtudio partium, ſed Religionis amore viam occludere tentaviſſet. Illi Regii Conſilii Praeſidi, & Magno Franciae Eleemoſynario renunciato Gregorius XV. rogante Ludovico XIII. auctoritatem tribuit, ut Galliae Monaſteria ad primaevae inſtitutionis puritatem revocaret. Quam Provinciam ſuperatis invicta conſtantia maximis difficultatibus, ad felicem exitum perduxit. Plura egregie ſcripſit de rebus Eccleſiaſticis, quae doctrinam in eo pietati parem fuiſſe teſtantur. Jura Eccleſiae ſi quando laedi contigiſſet, conſtanter tuebatur apud Regem, qui ejus monitis perlibenter aurem praebebat, quem ſciret ſalutis ſuae amantiſſimum. Multum, diuque laboravit anno 1615. in Comitiis Cleri Gallicani Lutetiae habitis, ut Synodus Tridentina ab Epiſcopis reciperetur, quod ſpopondere communi calculo quotquot aderant Praeſules, duobus tantum exceptis, ſeque eo ſacramento in Cardinalis ipſius manibus obſtrinxerunt. Romae dum degeret Galliae Patronus, una extitit Summi Pontificis adjutor egregius. Tanta fuit in egenos liberalitate, ut ſecundus Joannes Eleemoſynarius appellaretur. Eo in ſumma ſenectute mortuo Eccleſia propugnaculum, & Gallia decus ſibi ereptum ingemuerunt.

SCIPIO COBELLUTIUS VITERBIENSIS

A PAULO V. AN. MDCXVI. CR. PR. CARDINALIS

TIT. SANCTAE SUSANNAE.

OBIIT ROMAE 29. JUNII 1627.

PRobitate, & doctrina viam ſibi ad honores aperiens a Paulo V. primum adhibetur ſcribendis literis, quas Brevia vocant, deinde inopinato in Sacrum Collegium cooptatur. Nihil habuit in dignitate antiquius, quam ut eam cum vitae ſanctimonia, & in omni victu, cultuque cum moderatione conjungeret. Inprimis ſe doctis, & honeſtis hominibus amicum praeſtare glorioſum duxit, inter quos, qui inopes eſſent, opibus ſublevavit. Ejus in aedibus, veluti in quodam Lycaeo Sapientiae, omnia literis perſonabant. Nunc agebatur de Liturgia, Conciliis, ſacraque hiſtoria, qua mirifice delectabatur; nunc de Fide propaganda, nunc de ſublevandis Catholicis, Turcarum, & haereticorum perſequutionibus oppreſſis. Chriſtianis in Hungaria Othomanica tyrannide oppreſsis certam pecuniae ſummam quotannis mittere ſolebat, largiturus abundantius, ſi per cenſum licuiſſet. Auctor ſuit magna ex parte Conſtitutionis, quam de eligendo Summo Pontifice Gregorius XV. tulit. Moriens duobus ſe plurimum debere multis audientibus dixit: Paulo V., qui ſe Cardinalem creaverat, & Scipioni ejus ex fratre nepoti, qui ne Pontifex fieret, interceſſerat. Loco Beneficii poſuit repulſam a maxima, ſimulque periculoſiſsima omnium Dignitate. Nihil ſuis, omnia reliquit Collegio Viterbienſi S. I., quod & egregia bibliotheca ditavit. Tumulatus eſt in Aede ſui Tituli.

GUIDO BENTIVOLUS FERRARIENSIS

ARCHIEPISCOPUS RHODIEN.

A PAULO V. ANNO MDCXXI. CR. PR. CARDINALIS

TIT. S. JOANNIS ANTE PORTAM LATINAM,

DEINDE EPISCOPUS PRAENESTINUS.

OBIIT ROMAE 7. SEPTEMBRIS 1644.

ABſolutis in Academia Patavina ſtudiis, & praecipue Juriſprudentiae, Romam ad rempublicam capeſſendam acceſſit. In ſumma rerum, ac temporum difficultate Belgicam Provinciam Nuntius Apoſtolicus ita laudabiliter adminiſtravit, ut multarum, maximarumque virtutum impreſſa veſtigia ubique reliquerit. Eodem munere functus in Gallia magnam ſibi aeſtimationem, benevolentiamque conciliavit apud Ludovicum XIII. Regem, qui non ſolum eum beneficiis proſequutus eſt, verum etiam Vicarias ei Galliae apud Romanum Pontificem Protectoris partes commiſit. In conſiliis de republica dandis, dicendaque in Senatu ſententia, nihil fuit illo prudentius, nihil gravius, nihil copioſius. Res ſui temporis in Belgio geſtas ſcripſit, varias epiſtolas, aliaque multa, quæ puritate, gravitate, ſapientia plena cum priſcis, primiſque auctoribus facile poſſunt comparari. Cum liberalitate, & munificentia ſe alieno aere gravaviſſet, coactus eſt palatium in Quirinali ampliſſimum vendere, pretiumque inter creditores diſtribuere, receptus modicis aedibus, aulicolarum numero, expenſiſque pro rerum viciſſitudine ad trientem imminutis. Excelſi animi Vir, qui felicitatem in virtute collocaverat, tranquillo, fortique animo tulit hanc calamitatem, nec quidquam a generis ſui nobilitate, & a ſapientis dignitate alienum admiſit. Tanta itaque apud homines celebritate virtutis, & doctrinae, tanta apud Principes exiſtimatione, & gratia inops moritur Bentivolus. Cujus in Aede S. Silveſtri in colle Quirinali quieſcentis ſuaviſſima in Epitaphio aliquo recordatio adhuc deſideratur.

Digitized by Google

ARMANDUS JOANNES RICHELIUS PARISIENSIS

EPISCOPUS LUCIONENSIS

A GREGORIO XV. ANNO MDCXXII. CR. PR. CARD.

OBIIT PARISIIS 4. DECEMBRIS 1642.

NOn ſolum multarum imaginum commendatione, & trito jam a Majoribus ſuis itinere, ſed & eximia humanarum, divinarumque rerum ſcientia ad ſummos honores pervenit. A Ludovico XIII. Regni Adminiſter electus brevi pateſecit acre, & vehemens ingenium, celſam indolem, & vaſtam, judicium exactum, & conſtans, & ultra conſtantiam ipſam pertinax. Unius Rupellae, validiſſimi haereticorum praeſidii expugnatio, cumulavit Richelio trophaea: in ea quippe conjuratae potentiſsimorum hoſtium vires, & opes fractae, proſtrata haereſis, Catholica Fides, quam & ſcriptis propugnaverat, aſſerta. Chriſti ſepulchrum, & ſacra Paleſtinae loca a Turcarum tyranno, amotis ſchiſmaticis, reſtituenda FF. Minoribus Obſervantibus curavit. Domeſticos motus compreſsit, labentem in tribunalibus juſtitiam fulſit, torpentem in otio nobilitatem excitavit, commercia auxit, externos timores depulit, vires, & opes hoſtiles attrivit, rem denique Gallicam aſſeruit, conſtituit, auxit, & a ſe formatam, conſtantemque longe ſuperiorem ſucceſſoribus Regibus reliquit. Ut erat ingenio maximus, & munificentia effuſiſſimus, literatos omnes fovit, atque promovit, quorum plurimos, etiam homines novos ad Epiſcopatus, & ampliſsimos honores extulit, non aequum ratus, dignitate, & auctoritate deſtitui, qui egregiis animi dotibus eminerent. Aedes Sorbonae vetuſtate collapſas, magnificentiſsime reſtituit, & amplificavit. Avidus magis gloriae, quam opum, paucis ad ſe, ſuoſque derivatis, obiit nulli omnium Regiorum Miniſtrorum potentia, nulli forte ſapientia ſecundus.

FRANCISCUS BARBERINUS FLORENTINUS

AB URBANO VIII. ANNO MDCXXIII. CR. DIAC. CARD.
TIT. S. ONUPHRII,

DEINDE EPISCOPUS OSTIENSIS.

OBIIT ROMAE 10. SEPTEMBRIS 1679.

A Puero humanioribus, ac ſacris literis inſtitutus adhuc adoleſcens in Cardinalium Collegium cooptatur. Bello in Valle Tellina ſaeviente, ad Reges, & Principes, & praecipue ad pacem componendam in Galliam, hinc in Hiſpaniam Sedis Apoſtolicae Legatus decernitur. Pace tandem Italiae firmata, Romam reverſus, Luſitaniae, Angliae, Scotiae, Aragoniae, & Helvetiorum Protector declaratus, multa in Curia praeclara munera honorifice exercuit. Henrichettae Magnae Brittaniae Reginae, Caroli I. Viduae, Catholicae Fidei propugnatrici, Bavariae Duci adverſus Proteſtantes bellum gerenti, & Reipublicae Venetae pro re Cretenſi non modicam contulit pecuniam. Magnificis Familiae ſuae aedibus inſtructiſsima Bibliotheca praeſertim Mſs. Codicibus locupletata mentem addidit. Viros doctrina, & eruditione praeſtantes doctus ipſe ſecum in Aula, & in peregrinationibus comites ſemper habuit, ſumma humanitate coluit, & pleroſque inſtructiſsimo hoſpitio excepit. Vir ſublevandis hominibus natus, profuſus in pauperes, eorumque, qui aliquo opificio, aut arte excellerent, munificus promotor, & patronus. Qui Vaticanam Purpuram quinquaginta ſex annis illuſtravit, totidemque regiam pene munificentiam exercuit, quo luctu ad Templum S. Andreae de Valle elatus ſit, quiſque poteſt conjicere.



PETRUS BERULLUS PARISIENSIS

FUNDATOR ORATORII DOMINI JESU

AB URBANO VIII. ANNO MDCXXVII. CR. PR. CARD.

OBIIT PARISIIS 28. SEPTEMBRIS 1629.

Piis, nobilibuſque parentibus natus, puer adhuc ſeptennis Deo ſe ſervandae perpetuo virginitatis voto conſecravit. Adoleſcens Clero adſcriptus meditationibus Theologiae cum Miſticae, tum Scholaſticae ſummo cum progreſſu incubuit. Ab Henrico IV. oblata Sacerdotia, rara animi moderatione, & conſtantia repudiavit, concepto etiam de non admittendis dignitatibus Eccleſiaſticis voto. Pietatem in Clero, populoque miſere languentem ſuſcitavit, & Congregatiouem Oratorii Domini Jeſu, ſuadente maxime S. Franciſco Saleſio inſtituit; cui tantum incrementum Deus dedit, ut in domos ſupra quinquaginta in Gallia, finitimiſque regionibus brevi propagaretur. A Ludovico XIII. ad Reginam Mariam Mediceam matrem, quae e Bleſenſi Caſtro Engoliſmam ſeceſſerat, miſſus, belli civilis metum, & perniciem, quae inde Regno imminebat, caeleſti prudentia feliciter avertit, & matrem cum filio reconciliavit. Rogante ipſo Ludovico Petrum ad Purpuram vocavit Urbanus, cui cum ejus votum non eſſet ignotum, Literis Apoſtolicis pridie, quam eum crearet, ſcriptis, religione, qua obſtringebatur, liberavit, damnaturus contumaciae, ſi dignitatem detrectaret. Purpura invito ornatus, nihil de religione, humilique vivendi more remiſit: ſicque faſtum in ſublimitate caſtigans, docuit ſe meruiſſe, quod adeptus eſt. Lenta febri correptus, dum Sacra in domeſtico Sacello celebraret, ad illa Canonis verba, Hanc igitur oblationem, ſobitum animi deliquium paſſus in adſtantium brachia recubuit, mox paululum recreatus, efflagitato, ſuſceptoque Viatico, obiit, relinquens magnam apud omnes ſanctitatis opinionem.

J U L I U S   M A Z A R I N U S

PISCINÆ IN SAMNITIBUS NATUS

AB URBANO VIII. ANNO MDCXLI. CR. DIAC. CARD.

OBIIT PARISIIS 9. MARTII 1661.

PRaeeunte nemine gentis ſuae, intentata aliis via ad ſummum gloriae culmen evaſit. Ingenium illi ſubtile, & morarum patiens, judicium maturum, & tenax, intra tenacitatem tamen flexibile. Pro Sedis Apoſtolicae rebus pluries Italiam, Galliamque peragravit, & ad Caſalem in ipſa pugna inter Gallorum, & Hiſpanorum arma pace incredibili nominis ſui fama conciliata, periculorum praemia, ac laborum fructum accepit. Nam Nuntius in Galliam ab Urbano ablegatus, bene de Rege, ac Regno meritus, Cardinalium Collegio adſcribitur, rogante Ludovico XIII., a quo in defuncti Richelii locum homo Italus ſubſtituitur, mox in minori aetate Ludovici XIV. cum tutrice Regina totius Regni curam ſuſcepturus. Tanti Regis inſtitutio laus eſt eximia Julii Mazarini. Bella ad ſe tranſmiſſa pace compoſuit: Germaniam ad Monaſterium, totamque Europam ad Pyrenaeos pacavit: rempublicam armis, viriſque florentiſſimam reliquit, nihil actum credens, cum quid ad Principis gloriam ſupereſſet agendum. Adverſam fortunam vix ſentire viſus eſt, & quantum ſatis eſſet, ad probandam virtutem. Suos partis labore divitiis locupletavit, & conjugiis cum Italiae, Galliaeque Principibus familiis illuſtravit. Baſilicam, & gymnaſium Lutetiae Pariſiorum ad reipublicae bonum fundavit. Si libet eum cum Richelio conferre, fuerunt ambo dignitate, & praefectura inſignes, rebus geſtis, & fortuna ſimiles; ingenio vero, & adminiſtrandæ reipublicae ratione diſſimiles, quod quidam ingenioſe hoc diſticho expreſſit:

Magnus uterque fuit, ſed dignos vindice nodos
Armandus ſecuit, Julius explicuit.

SFORTIA PALLAVICINUS ROMANUS

SOCIETATIS JESU

AB ALEXANDRO VII. ANNO MDCLVII. CR. PR. CARD.

TIT. SANCTAE SUSANNAE.

OBIIT ROMAE 5. JUNII 1667.

TAlem ſe ab ineunte pueritia ad pietatem, & literas formavit, ut in iis Romanae Juventutis princeps eſſet, & haberetur. Utriuſque Signaturae Referendarius morem Ordinis ſui ſecutus, nonnullis ditionis Eccleſiaſticae urbibus praefuit. Pertaeſus autem hujuſmodi vitae, cui parum otii ad ſtudia, minuſque quietis ineſſet, ac ſaturitate quadam rerum humanarum certius ad felicitatem iter inſiſtere decrevit, & abdicato Magiſtratu Societati Jeſu nomen dedit. In ea totum ſe literarum, ac pietatis ſtudiis addixit; ut praeclara edita ab eo monumenta teſtantur. Hiſtoriam Concilii Tridentini ſibi commiſſam publica auctoritate ſcribendam ſuſcepit, vindicandamque adverſus Petri Suavii Polani de eodem argumento mendacia, & calumnias. Opus ſane auctoris ingenio, & mole rerum magnum. Cardinalatum ſibi delatum, tamquam ſaluti, & tranquillitati ſuae incommodum deprecatus, non niſi iterum, ac tertio juſſus accepit. In ea dignitate conſtitutus nihil de prioris vitae conſuetudine immutavit. Magno Sedis Apoſtolicae, & rei Chriſtianae ſtudio incenſus, Cardinalium Collegium Vaticanis in Comitiis pluribus obſecravit, ut ſi ſeipſos, ſi rempublicam ſalvam vellent, eum Pontificem renuntiarent, quem vera virtus, & multis ſpectata documentis, non Principum favor, & conciliata ambitu gratia commendarent, quemque non domus ſuae, ſed domus Dei zelo incenſum diuturno uſu cognoſcerent. Pie obiit, ut vixerat, & ſepultus eſt in Templo S. Andreae in colle Quirinali.

FRANCISCUS GUILIELMUS WARTEMBERGIUS

GERMANUS

EPISCOPUS OSNABRUGEN.

AB ALEXANDRO VII. ANNO MDCLX. CR. PR. CARD.

OBIIT 1. DECEMBRIS 1661.

Ferdinandi Bavariae Ducis filius, a Comitatu Comes Wartembergius appellatus, abſolutis Romae gravioribus ſtudiis, variis Sacerdotiis praeficitur. Epiſcopus Oſnabrugenſis a Canonicis de more poſtulatus, poſſeſſionem Eccleſiae armatus ipſe, devictis civibus moram facientibus, ope Danorum adiit, totamque Dioeceſim in Catholica Fide confirmavit, & ſacris ordinationibus munivit. A Ferdinando II., ut Imperatoriam Legem de recuperandis bonis Eccleſiaſticis exequeretur, in Saxoniam miſſus, pium Caeſaris votum non ſine capitis diſcrimine implevit. Ab Urbano VIII. Epiſcopus Mindenſis, & Verdenſis renunciatus, Coadjutor Eccleſiae Ratiſponen. deſignatur, & Vicarius Apoſtolicus ad partes Septentrionales. Pro Electore Colonienſi ad conventum Monaſterienſem Caeſari in conficienda pace, quae Weſtphalica dicta eſt, adſtitit: quam provinciam ea fide, induſtria, ac prudentia geſsit, ut per omnes Chriſtiani Orbis provincias Wartembergii nomen inclareſceret; ipſique haereticorum Principum Legati morum ejus lenitatem, & elegantiam, rerum gerendarum uſum, vitae ſanctimoniam, & zelum Domus Dei admirarentur, ac laudarent. Totum vero illius ſtudium in eo fuit, ut pax omnium juribus opportuna componeretur, nihilque de Eccleſiae immunitatibus, atque auctoritate minueretur. Ceteros Germaniae Epiſcopos exemplo ſuo adverſus heterodoxos inflammavit. Talem, ac tantum Virum Alexander VII. ad Caeſaris preces Cardinalem pronunciavit. Anno ſequenti pene ſeptuagenarius ad promerita Superum gaudia evolavit, ingenti Germanicae Eccleſiae damno: ejus enim opera, ac zelo in tanta rerum omnium perturbatione Catholica Religio ſtetiſſe viſa eſt.

Digitized by Google

V. GREGORIUS BARBADICUS VENETUS

EPISCOPUS BERGOMENSIS

AB ALEXANDRO VII. ANNO MDCLX. CR. PR. CARD. TIT. S. THOMAE IN PARIONE.

OBIIT PATAVII 15. JUNII 1697.

NObili, & perantiquo genere ortus, ac politioribus literis eruditus adoleſcens, cum Aloyſio Contareno Monaſterium a Venetis ad pacem ſtatuendam miſſo profectus eſt, ibique Fabium Chiſium, qui Apoſtolicus Nuntius ab Urbano VIII. pacificator & ipſe acceſſerat, in ſui admirationem pertraxit. Chiſio ad Pontificatum evecto, Bergomenſi Eccleſiae praeficitur: deinde in numerum Cardinalium adſcriptus ad Patavinam transfertur. Magnis utrobique virtutibus eluxit, atque inſignia reliquit exempla religionis, & caritatis. Omnia Provinciae ſuae longe, lateque porrectae negotia expedivit diligentiſſime, nec laboribus, aut vigiliis ad extremum uſque ſpiritum pepercit. Dioeceſim ſuam literis, ac pietate toto ſtudio excoluit, ideoque educandae juventuti duo Collegia inſtituit, alterum Patavii, quod eſt Seminarium, alterum in agro Treſtenſi. Illud omnium ferme facultatum delectis magiſtris inſtruxit: linguas ſacris voluminibus interpretandis apprime utiles adjecit, Hebraicam videlicet, Chaldaicam, Syriacam, Arabicam, Graecam praeſertim, quae parens eſt ſolidae literaturae; addita in ſubſidium bibliotheca, ac typographia: quod Inſtitutum Eccleſiaſticis cenſibus ſtabilivit, heredemque ex aſſe ſcripſit. In egenos tanta ſuit liberalitate, ut compertum ſit erogaſſe ad octingenta nummûm millia. Binos ſelectos viros exemplo S. Caroli habuit, ſui correctores, eorumque nomina typis impreſſa exponi juſſit in Epiſcopali tabulario, ut oſtenderet ſe aliorum admonitiones aequi, bonique conſulere. Nihil in eo non eximium: animum ſemper aequabilem, conſtantia, & gravitate firmum non laeta, non triſtia mutàrunt. Omnes denique partes implevit praeſtantiſſimi Cardinalis, ſummoſque Principes in ſui admirationem traxit ſplendore virtutum. Abivit ad ſuperos via ea, quam ſingulari vitae ſanctimonia ſibi munierat.

J O A N N E S B O N A

MONTEREGALI IN SUBALPINIS NATUS

CONGREGATIONIS CISTERC. REFORM. S. BERNARDI

A CLEMENTE IX. ANNO MDCLXIX. CR. PR. CARD. TIT. S. SALVATORIS IN LAURO.

OBIIT ROMAE 28. OCTOBRIS 1674.

CUm ingenio eſſet facili, & ad virtutem plane facto, ſingulari ſtudio, ac diligentia eo pervenit, ut nulla continentiae, & caritatis in eo exempla deſiderarentur. Edita ab eo monumenta, praeſertim in rebus Liturgicis illuſtrandis, non tam ejus doctrinam, quam pietatem teſtantur. In Ciſtercienſium Reformatorum familia adſcriptus, ſodalibus Monachis pluries renuntiatus Abbas ad virtutes excolendas dux fuit, & magiſter. Epiſcopatum Aſtenſem oblatum conſtanter recuſavit ſolitudinis amore detentus, nec niſi coactus Purpuram accepit, quæ id ſolum in eo mutavit, ut qui virtutes ſuas in Coenobiorum latebris abſconderat, ſuper candelabrum poſitus palam omnibus oſtenderet. Fuit invicto animo in rebus adverſis, ferendiſque injuriis: caeleſti ſapientia Summis Pontificibus in graviſſimis rebus mirifice profuit: moderatione denique, atque admirabili humilitate Pontificatum communibus pene ſuffragiis ſibi propoſitum, toto conatu declinavit, nulla gentis ſuae habita ratione, nulla demum ambitione permotus, quae in mortalium animis antiquiſſima, & validiſſima eſt: ut etiam hoc inſignis victoriae ſui titulo cum ſanctiſſimis, ſummiſque Viris ſit comparandus. Pientiſſime obiit, & in Templo Sancti Bernardi Ordinis ſui cum luctu bonorum omnium tumulatus eſt.



Digitized by Google

HIERONYMUS CASANATE NEAPOLITANUS

A CLEMENTE X. ANNO MDCLXIII. CR. DIAC. CARD.

TIT. S. MARIAE IN PORTICU.

OBIIT ROMAE 3. MARTII 1700.

MAthiae Patricii Caeſarauguſtani, in ſupremo Neapolis Conſilio Regentis celeberrimi filius, Vir fuit excelſi animi, & eximiae virtutis. Cum Romam in ipſo aetatis flore acceſsiſſet, in Ordine Praeſulum adſcriptus, & pro more nonnullis ditionis Eccleſiaſticae Provinciis praefectus, a praedonum incurſionibus impigre tutatus eſt Sabinos, & Picenos ab ingruenti peſtilentia, & inopia ſervavit. Obortas ex Martini Rhedini in Magnum Magiſtrum Religionis Hieroſolymitanae electione perturbationes, Melitam Inquiſitor miſſus compeſcuit, ſuſtulitque magna cum laude. In Urbem revocatus, in praecipuis ſecundi Ordinis muneribus ingenium exhibuit diſciplinis omnibus inſtructum: animum vero iis moribus, eoque tuendorum Eccleſiaſticorum jurium zelo ornatum, ut Purpura, quam conſecutus eſt, dignißimus unus haberetur. Tanta apud Patres, Summoſque Pontifices auctoritate valuit, ut eo potiſſimum ad extremam uſque ſenectutem cum in Senatuſconſultis, Statutiſque Pontificum exponendis, tum & maxime in rebus gravioribus tranſigendis, uterentur. At vero ne poſt vitam quidem ſua deeſſet reipublicae opera, cum ex ſolo patrimonii ſui cenſu, ſe pro dignitate, & familiam aluiſſet, ex reſervatis Sacerdotiorum proventibus Bibliothecam, toto jam Orbe de ejus nomine celebratam inſtituit, quam PP. Dominicanis in Apoſtolicae Sedis ſubſidium, publicumque ſtudiorum uſum legavit. Octoginta ei adtribuit aureorum millia, cum coemendis in immenſum libris, tum decem viris perpetuo alendis, quorum duo Bibliothecae praeeſſent, duo S. Thomae doctrinam publice interpretarentur, reliqui variarum gentium Theologi pro Fide, & moribus adverſus errores, atque licentiam dimicarent. Aeternum poſteris exemplum amoris in Eccleſiam, & literas, quod pauci imitentur, mirentur omnes. Tanti Viri cineres in Baſilica Lateranenſi nobili ſepulchro aſſervantur.

JOSEPH AGUIRRIUS HISPANUS

ORDINIS S. BENEDICTI

AB INNOCENTIO XI. ANNO MDCLXXXVI. CR. PR. CARD. TIT. SANCTAE BALBINAE.

OBIIT ROMAE 19. AUGUSTI 1699.

IN Ordinem S. Benedicti ingreſſus ita pietate, & humanarum, divinarumque rerum ſcientia profecit, ut primus Sacrae Scripturae Interpres in Salmanticenſi Univerſitate, ac deinde a ſecretis Supremae Inquiſitionis Hiſpaniarum renunciaretur. Praeſidens generalis Hiſpanicae Congregationis S. Benedicti creatus, eam provinciam ſumma cum laude adminiſtravit. Pro Catholica Fide tantus illi inerat ardor, ut quam de ea tuenda, propagandaque nullam priorem haberet cogitationem. Hinc zelus ille praecipuus aſſerendae Eccleſiaſticae Juriſdictionis, pro qua nec vultum potentum, nec domeſtica veritus eſt detrimenta. Defenſio Cathedrae S. Petri ab eo ſuſcepta, invicteque confirmata adverſus eam impugnantes, tantam illi apud omnes peperit gloriam, & praeſertim apud Innocentium XI., ut auctorem in Sacrum Collegium aſciſceret. Nova auctus dignitate, cum de rebus ad Eccleſiaſticam diſciplinam, aut libertatem ſpectantibus loqueretur in conſpectu Regum, ac Principum, ejuſmodi erat illius oratio, qualis Cardinalem decet, ac hominem illius Curiae, quae neminem timere debet, niſi Deum. Viam inſuper veritatis perpetuo ſequens ſanam in opinionibus doctrinam promovere ſategit: ut abunde non ejus tantum ſcripta, ſed & celebrium ſcriptorum encomia teſtantur. Vita caſte, integreque peracta perenne poſteris, rarumque noſtrorum temporum teſtimonium humilitatis reliquit in tumuli ſui apud S. Jacobum in Circo Flaminio inſcriptione, quam tibi ſubjicio.

VITA. PECCATOR. APPELLATIONE. MONACHUS
S. BENEDICTI. STUDIO. THEOLOGUS

HENRICUS NORIS VERONENSIS

ORDINIS EREMITARUM S. AUGUSTINI

AB INNOCENTIO XII. ANNO MDCXCV. CR. PR. CARD.

TIT. SANCTI AUGUSTINI.

OBIIT ROMAE 20. FEBRUARII 1704.

PArentis ſui Alexandri, qui Hiſtoriam de bellis Germanicis ſcripſit, cura honeſtiſſimis a prima aetate artibus operam dedit. Ut liberius ſacris ſtudiis vacaret, Sancti Auguſtini Familiae nomen dedit. Romam accitus a Chriſtiano Lupo ſacris diſciplinis apprime exculto, quid erudita valerent ſtudia Henricus plenius didicit, & cum animadverteret de Scholaſticis alioquin acutiſſimis modicam quidem in Urbe rationem haberi, ſed a cunctis ordinibus Lupum majorem in modum obſervari, ſeſe in hujus ſtudiorum rationem totum contulit. Acceſſit Onuphrii Panvinii concivis ſui jucundiſsima recordatio, quem non minus Romanae, quam Eccleſiaſticae Hiſtoriae parentem poſſumus appellare. Tantorum virorum veſtigiis inhaerens, in Theologica ſapientia, in Chronologia, in Sacra, profanaque hiſtoria, & in totius antiquitatis cognitione celebre ſibi nomen comparavit non tam apud noſtrates, quam apud exteras nationes. Inſigni edito de Hiſtoria Pelagiana volumine, clariſsimus doctrinae Auguſtinianae vindex, & interpres habitus eſt. E Piſana Cathedra Romam ab Innocentio XII. evocatus, Bibliothecae Vaticanae praeficitur. Eo in munere graviſsimis Sedis Apoſtolicae negotiis adhibitus Cardinalitia dignitate augetur, & defuncto Cardinali Caſanate Bibliothecarius S. R. E. renunciatur. Omnes illius animi candorem, aequitatemque in aliorum ſententiis diſcutiendis, in refellendis lenitatem, & in proponendis ſuis modeſtiam admirati ſunt, & amaverunt. Vir aeque literis, ac Purpura Eminentiſsimus, & Eruditorum in Urbe aeterna Decus; quique ex graviſsimo BENEDICTI XIV. Pontificis ſapientiſsimi teſtimonio, ſine ſpeciali laude, tamquam Romanae Eccleſiae ſplendidiſſimum lumen, nunquam eſt nominandus. Jacet in Templo S. Auguſtini.

Digitized by Google

CAROLUS THOMAS TURNONIUS TAURINEN.

PATRIARCHA ANTIOCHENUS

A CLEMENTE XI. ANNO MDCCVII. CR. PR. CARD.

OBIIT MACHAI IN REGNO SINARUM 8. JANUARII 1710.

VIr integritate morum, doctrina, ac prudentia clarus, renuntiatus Antiochenus Patriarcha, & Viſitator Apoſtolicus cum poteſtate Legati de Latere in Sinarum Imperium, aliaque Orientalium Indiarum Regna cum lectis Evangelicae Legis Praeconibus mittitur. Felici navigatione cum eo perveniſſet, multa pro opportunitate rerum, Fideique Orthodoxae integritate conſtituit, editis praeſertim Pudicherii Decretis, quae a Chriſtianis Regni Maduriensis idololatriae ritus eliminarent, deinde Sedis Apoſtolicae Auctoritate confirmatis. In Sinas demum appulſum nonnulli in aula variis muneribus praefecti, concitatis animis eum apud Imperatorem traduxerunt, veluti noxia Imperio molientem, ejuſque coepta abrumpere omni arte ſtatuerunt. Hinc enixe Turnonio laborandum fuit, ne violentia, quae multos ex ſacris Miſsionariis oppreſſit, univerſos abriperet. Obſtitit fortiter contra conatus omnes, nec animam ſuam fecit grege ſuo pretioſiorem. Qua de conſtantia certior factus Clemens XI. Cardinalem creat, & Purpureum Pileum ad eum per ſacros Miniſtros deferendum procurat. Hi Machaum cum perveniſſent, Cardinalem inveniunt inopinato Imperatoris decreto, eo perductum, juſſumque immorari, donec vis tempeſtatis remitteret. Verum aucta in dies mala eo tandem proceſſerunt, ut duriſſimum in Carcerem Cardinalis detruderetur, & aſperrima quaeque pro Orthodoxae Religionis defenſione ferre cogeretur. Tandem triennalibus rerum omnium anguſtiis confectus ipſo Pentecoſtes die in Sacellum delatus, ac Sacramentis munitus migravit ad Chriſtum anno aetatis quadrageſimo ſecundo, eo magis lugendus bonis omnibus, quo vel carcere detentus magno erat praeſidio Sinenſi Eccleſiae, terrebatque vel in vinculis ipſis hoſtes Religionis. Pontifex fortiſſimum hominem in Apoſtolico Senatu laudavit, indixitque publicas in Sacello Pontificio exequias, inter quarum ſolemnia panegyrica oratione eſt commendatus. Corpus ad Urbem delatum, in Eccleſia de Propaganda Fide, quam heredem inſtituit, Reſurrectionem expectat.

Digitized by Google

MELCHIOR POLINIACUS GALLUS

A CLEMENTE XI. ANNO MDCCXII. CR. PR. CARD.

TIT. SANCTAE MARIAE DE ANGELIS.

OBIIT PARISIIS 20. NOVEMBRIS 1741.

ORtus genere illuſtrium virorum imaginibus commendato a prima aetate maturos ſcientiarum fructus protulit, quos literatia reſpublica admirata eſt. Vir ingenti animo in maximis negotiis verſatus, ac variis Europae populis ad gentis ſuae gloriam demonſtratus a Ludovico Magno commiſſas celeberrimas Legationes diligenter obivit, fideliterque adminiſtravit. Cooptatum inter Romanae Rotae Auditores, Jacobus III. Magnae Brittanniae Rex, ut Ludovico Regi gratificaretur, ad Purpuram vocavit. Mox Galliae rebus Romae gerendis praeficitur. Is fuit ejus orationis nitor, qui ad ſenſus audientium cum ſuavitate efflueret, & illaberetur, ea hominis lenitas, & humanitas, qua omnium animos ſibi conciliaret. Divitiis uſus eſt ad magnificentiam, & ſplendorem, neque meliorem earum uſum novir, quam cum ad elargiendum ſuppeterent. Ejuſdem tuendae Religionis ſtudium nulla humanarum rerum cura, aut ratio, nullus Magiſtratuum tumultus unquam retardavit, aur relaxavit. In proſperis non elatus, non demiſſus in adverſis fuit, ſed utriſque altior, ac ſibi perpetuo par, & aequalis. Semel, & iterum aemulorum artibus a negotiis ſecluſus, cauſam ſupremi Numinis adverſus Atheos tutatus eſt egregio illo latine compoſito Poemate, quod Anti-Lucretius inſcribitur, ſive De Deo, & Natura contra Lucretium eorundem antiſtitem, & oraculum, quem collato pede profligare ſibi propoſuit. Opus ſane magnae mentis, eximiaeque pietatis, in quo Philoſophia, & quidem Carteſiana tamquam religionis miniſtra, & famula demonſtratur, quodque natum arguit ad eloquentiam, & poeſim ingenium, infinitis illis & eruditionibus, & amoenitatibus, quae tantum argumentum maximopere illuſtrant. Ita explevit Cardinalis Poliniacus vitam octoginta annorum, ut in tam longo curriculo pars omnino nulla ſplendore ſuo vacua eſſe videatur.

JOSEPH MARIA DE THOMASIIS PANORMITANUS

CONGREGATIONIS CLERICORUM REGULARIUM

A CLEMENTE XI. ANNO MDCCXII. CR. PR. CARD.
TIT. SS. SILVESTRI, ET MARTINI AD MONTES.

OBIIT ROMAE 1. JANUARII 1713.

NAtus in familia, de qua vere dici poſſit: Beata gens, quam Deus elegit in hereditatem ſibi: ab adoleſcentia conceptam animis omnium ſpem Chriſtianae Perfectionis veris virtutibus exaequavit. In ſchola patrui ſui Caroli ex Congregatione Theatinorum pietatis laude conſpicui innutritus, ejuſdem inhaerens veſtigiis, paterno Lampeduſae Principatu abdicato, ipſe quoque Theatinis adſcriptus eſt. Vitae ſanctimonia, & editis ſacrae antiquitatis monumentis innoteſcere publice coepit, qui latere perpetuo cupiverat. Clemens plane cognita Thomaſii virtute, & doctrina, eum in Collegium Cardinalium invitum maxime, ac diu reluctantem adlegit, ut veteris diſciplinae in tam ſublimi gradu novum exemplar proponeret. Sapientiſſimi Pontificis judicium confirmavit Thomaſii vita, brevis quidem, uti ipſe apertis verbis futuram eſſe pronunciavit, ſed pleniſſima cujuſque virtutis monumentis. Modeſta, & humilis ejus ſupellex, modica, & lecta ad probitatem familia, reſtituta in Titulo ſuo priſca Sacrorum inſtitutio, & reverentia, animus in rerum divinarum contemplatione jugiter defixus; os ad laudem Dei, ſalutemque populi apertum, porrecta manus ad pauperem; ſancta denique opera alia teſtari viſa ſunt, eum Cardinalatus expleviſſe tempora multa. Congregationem de Propaganda Fide reliquit ditiſſimae paupertatis ſuae heredem, exemplum ſtatuens, unde ſtudio Chriſtiani nominis amplificandi Conſcriptorum Patrum animi accenderentur. Neque poſtmodum defuerunt Thomaſii imitatores, qui zeli ejuſdem clara argumenta praeſtiterunt, iis inſtitutis heredibus, qui Fidem propagarent. Animam efflavit in oſculo Domini, & in Templo ſubterraneo SS. Silveſtri, & Martini conditus eſt ſub rudi latercuIo, quem paucis ante obitum diebus, initialibus nominis ſui literis inſculpi, eoque in loco collocari mandaverat. Humilem Deus exaltabit.

ANDREAS HERCULES FLEURIUS

LUTEVAE IN OCCITANA NATUS

EPISCOPUS FOROJULIEN. IN PROVINCIA

A BENEDICTO XIII. ANNO MDCCXXVI. CR. PR. CARD.

OBIIT PARISIIS 30. JANUARII 1743.

ADditis ad egregia naturae munera honeſtiſsimis moribus Aulam adiit, nec multo poſt a Ludovico Magno ad regimen Eccleſiae Forojulienſis poſtulatur. Eo munere difficili tempore prudenter functus annis pluribus, Pariſios ad ſummam omnium provinciam revocatur. Rex enim morti proximus ſormaturus ad imperium abnepotem ſuum Ludovicum XV. adhuc infantem, praeceptorem ultimis Teſtamenti ſui tabulis Fleurium dedit. Spem ſapientiſſimi Regis Regiae virtutes in animum excellentis Pueri inſinuatae non feſellerunt. Magiſtri virtus, & ſapientia parem ſibi Diſcipuli reverentiam, & amorem perpetuo conciliaverunt. Regiorum hinc conſiliorum moderator, & arbiter, nihil in innumeris pene curis habuit antiquius, quam ut pacem, & Religionem ſartas tectas tueretur. Nullum bellum gerendum putavit, niſi neceſſarium, nullam pacem ſtatuendam, niſi Religioni, & publico bono conſentaneam. Pernicioſis opinionibus, quae Eccleſiam Gallicanam integro ſeculo vexaverant, reviviſcentibus ſraenum impoſuit, conſociatis cum Pontificiis Conſtitutionibus Regiis Decretis. Hunc in Religionem zelum ea animi moderatio comitata eſt, quae non honores quaerere, ſed quaeri ab honoribus videretur. Ornatus Purpura inſtante Ludovico, ſecundusque poſt Regem, humaniter omnes excepit, audivit patienter, nullum, quoad potuit, triſtem diſcedere paſſus eſt. Galliam, quam variis caſibus inopem invenit, opulentam reliquit, nihilque inde in domum ſuam, praeter muneris recte, & ſancte geſti gloriam intulit. Poſt Regnum ultra viginti annos adminiſtratum, poſt Europam conſiliis, & opera ſua nunc pacatam, nunc conſtitutam, mortuus eſt in ſenectute bona. Illi parentavit patens magnanimi Regis dolor, eo magis memoria dignus, quod, ut dicit Plinius de Trajano: In Principe rarum, ac prope inſolitum eſt, ut ſe putet obligatum, aut ſi putet, amet. Quo illuſtri grati animi documento, ceteriſque vere Regiis virtutibus Ludovico XV. Cognomen DILECTI omnium concentu peculiare factum eſt, quod ipſe agnoſcit, ſentitque Sibi, non Principi datum.

MONITUM te volumus, Lector benevole, praeter ducentas Imagines Cardinalium Illuſtrium, quorum hic Elogia vides, aliquot adhuc alias in Pinacotheca noſtra ſpectari; quae ſi ad centenarium numerum perveniſſent, tertiam quoque centuriam addere non omiſiſſemus. Numerum autem eum explere in animo eſt, centuriamque ipſam adjungere: quam curam ſi provecta aetas ſuſtinere nos minime permiſerit, ii ſuſcipient, ad quos Pinacotheca eadem noſtra identidem aliis aucta Imaginibus deveniet. Neque id illis factu difficile erit, cum ſeculum proxime elapſum, noſtrumque hoc decimum octavum cum praeteritis de palma virtutis, & doctrinae poſſint non immerito contendere. Quam enim multos, quam egregios Viros horum temporum Pontifices Maximi ſacra Purpura induerunt? Occurrunt ultro animis, ſeſeque objiciunt praeclariſſima Cardinalium nomina, non minori laude digna, quam quae in Elencho noſtro vides primaria, & celeberrima. Occurrit videlicet primo aſpectu Marcellus Lantes, Vir ad benemerendum de humano genere natus, qui ob profuſam in egenos omnes liberalitatem alter temporis ſui Joannes Eleemoſynarius appellatus eſt. Occurrunt Franciſcus Boncompagnus, & Dionyſius Marquemontius magnatum virtutum Antiſtites, quorum alter Neapolitanam, alter Lugdunenſem Eccleſiam ſanctiſſime adminiſtravit; Julius Sacchettus exactae prudentiae Vir, & perpetuo in honeſto quoque propoſito fortis, & conſtans; Joannes Franciſcus a Balneo ob virtutes ſuas meritis doctorum virorum laudibus celebratus; Hieronymus Grimaldus Aquenſis Archiepiſcopus, qui in paſcendo, tuendoque grege S. Carolum ſibi propoſuit imitandum; Ludovicus Portocarrerius, qui gentis ſuae gloriam ſplendore auxit virtutum ſuarum, Toletanae Eccleſiae decus, & Hiſpaniae ornamentum; Laurentius Brancatus de Lauria ex Ordine Minorum, cujus expreſſam habemus imaginem in libris, quos & plures, & egregie ſcriptos reliquit; Stephanus Camuſius Gratianopolitanus Epiſcopus, qui gregis ſui forma factus ex animo, labefactatam diſciplinam Eccleſiaſticam reſtituit; Caeleſtinus Sfondratus Jurium Romanae Cathedrae Vindex, Aſſertorque conſtantiſſimus Eccleſiaſticae libertatis; Marcellus de Aſte Anconitanus Antiſtes, vitae ſanctimonia, & propagandae divinae gloriae ſtudio illuſtris; Chriſtianus Auguſtus e Ducibus Saxoniae, qui in Germania rem Catholicam impenſe juvit, factuſque Archiepiſcopus Strigonienſis, & Hungariae Regni Primas exitiale bellum adverſus Regem, & ſanctiora jura a per-

duellibus excitatum ſedavit; Armandus Rohanius genere aeque & ingenio eminens, non de Apoſtolica tantum Sede, ſed & de Eccleſiae Gallicanae Orthodoxa doctrina benemerentiſsimus; Ludovicus Belluga Carthaginienſis Epiſcopus, invitus, ac renitens ad Purpuram vocatus, Pontificiae Auctoritatis, & Eccleſiaſticae Immunitatis intrepidus defenſor, morum ſanctitate, atque zelo amplificandae Catholicae Religionis conſpicuus. Occurrit denique repetenti altius animo, ut alios bene multos praeteream, Thomas Philippus Howardus e Ducibus Norſoltiis ex Ordine Praedicatorum, antiquitate generis, gloria Majorum, & modeſtia ſua unus omnium maxime florens, Cardinalitio auctus Honore praeſertim ut etiam praeterito ſeculo Magnae Britanniae in homine ſuo praeſtantiſſimo Romana Purpura eluceſceret. Quod aetati noſtrae, & magno quidem incremento conceſſit Deus, ut nempe videremus additum a Sanctiſſimo D. N. BENEDICTO XIV. Cardinalium Senatui Regium Adoleſcentem Henricum Benedictum Ducem Eboracenſem, qui Regiorum, eorundemque optimorum Parentum veſtigiis inhaerens, & caeleſtium praeceptorum doctrinis innutritus in aetatis flore ea Eccleſiaſticae vitae exempla praebet, quae omnes ſuſpiciant, & venerentur. Hunc poſteritas admirabitur, nec extollere meritis laudibus omittet coaevos Patres, quorum commendandis virtutibus dignus praeco non deerit.



ELEN-

ELENCHUS
ILLUSTRIUM CARDINALIUM
Quorum Elogia in hoc Volumine deſcribuntur.

A

AEgidius Albernotius. *Albernots.*	pag. 37.
Aegidius Viterbienſis.	106.
Alamanus Adimarius.	52.
S. Albertus ex Ducibus Lotharingiae inferioris.	5.
Albertus Marchio Brandeburgicus.	108.
Alexander Farneſius.	115.
Alexander Medices. *Poſtea Leo XI.*	163.
Alexander de Oliva.	77.
Alexander Perettus dictus Montaltus.	168.
Aloyſius Eſtenſis.	148.
Amedeus VIII. Dux I. Sabaudiae.	72.
Andreas ab Auſtria.	159.
Andreas Hercules Fleurius. *de Fleury.*	200.
Androinus de Rupe. *de Rocha.*	39.
Angelus Acciajolus.	45.
Angelus Capranica.	74.
Annas Givrius. *Decars Givry.*	175.
Annibaldus Cajetanus, ſeu de Ceccano.	31.
Antoniottus Pallavicinus.	91.
Antonius Carafa.	155.
Antonius Corarius.	51.
Antonius Maria Salviatus.	164.
Antonius Perenottus de Granvella.	146.
Ardicinus de Porta Junior.	90.
Armandus Richelius. *de Richelieu.*	186.
Arnaldus Oſſatus. *d'Oſſat.*	179.
Aſcanius Columna.	169.
Aſcanius Maria Sfortia.	89.
Auguſtinus Valerius.	166.
Auxias de Podio.	83.

B

BArtholomaeus Guidiccionus.	131.
Bartholomaeus Roverella.	79.

Be-

Berardus Herulus. 75.
Bernardinus Caravajalis. 93.
Bertrandus de Turre. 30.
Beſſarion Trapezuntinus. 64.
B. Bonaventura Baduarius de Peraga. 46.
S. Bonaventura Fidanza. 21.
Branda Caſtellionaeus. 54.

C

V. CAeſar Baronius. 176.
S. Carolus Borromaeus. 142.
Carolus Guiſius e Ducibus Lotharingiae. 138.
Carolus Thomas Turnonius. *Maillard de Tournon.* 197.
Chriſtophorus Madruccius. 134.
Chriſtophorus Numalius. 105.
Chunradus de Wittelesbach. 2.
B. Chunradus de Urach. 11.

D

DAvid Bettonius. 125.
Dominicus Capranica. 58.
Dominicus Grimanus. 95.
Dominicus Tuſchus. 178.

E

Fr. ELias Bordeillius. *de Bordeilles.* 88.
Ennius Philonardus. 120.
Erardus de Marka. 109.

F

FEdericus Borromaeus. 171.
Federicus Fregoſius. 128.
Franciſcus Barberinus. 187.
Franciſcus Guilielmus Wartembergius. 191.
Franciſcus de Joyoſa. *de Joyeuſe.* 165.
Franciſcus Juſtus Turnonius. 114.
Franciſcus Maria Tauruſius. 174.
Franciſcus Quignones. 112.
Franciſcus Rupefucaldius. *de la Rochefoucault.* 183.

Fran-

Franciſcus Todeſchinus dictus Piccolomineus. *Poſtea Pius III.* 78.
Franciſcus Toletus. 173.
Franciſcus Ximenius, 99.
Franciſcus Zabarella. 55.

G

GAbriel Palaeottus. 154.
Fr. Gabriel Veronenſis. 87.
S. Galdinus de Sala. 1.
Gaſpar Contarenus. 118.
Gentilis de Monte-Floris. 26.
Georgius Amboſius. *d'Amboiſe*. 96.
Georgius Armaniacus. *d'Armagnac*. 135.
Georgius Coſta. 84.
Gerardus Blanchus. 23.
Gerardus Groſbecanus *a Groesbecb*. 160.
V. Gregorius Barbadicus. 192.
Gregorius Corteſius. 133.
Gregorius de Creſcentio. 8.
Guido Bentivolus. 185.
Guido de Bononia. *de Bologne*. 36.
Guilielmus Alanus. 170.
Guilielmus e Comitibus Bleſiae, & Campaniae. 4.
Guilielmus Curtus. 35.
Guilielmus de Eſtoutevilla. 66.
Guilielmus de Longis. 25.
Guilielmus Philaſtrius. 56.
Guilielmus Sirletus. 153.

H

HEnricus Belfortius. *de Beaufort*. 60.
B. Henricus e Caſtro Marſiaco. 3.
Henricus a Luſitania. *Poſtea Rex*. 137.
Henricus Noris. 196.
Hercules Gonzaga. 111.
Hieronymus Albanus. 158.
Hieronymus Aleander. 123.
Hieronymus Caſanate. 194.
Hieronymus Seripandus. 143.
Hippolytus Eſtenſis Senior. 94.
Hippolytus Eſtenſis Junior. 126.
Hugo a Sancto Caro. 17.

I

JAcobus Amanatus dictus Piccolomineus. 81.
Jacobus Inſulanus. 57.
Jacobus a Luſitania. 73.
Jacobus de Pecoraria. 14.
Jacobus Perronius. *du Perron*. 182.
Jacobus Sadoletus. 121.
Jacobus de Vitriaco. 13.
Joannes Antonius Facchinettus. *Poſtea Innocentius IX*. 161.
Joannes Baptiſta Caſtaneus. *Poſtea Urbanus VII*. 162.
Joannes Baptiſta Millinus. 85.
Joannes Bernardinus Scotus. 140.
Joannes Bona. 193.
Joannes de Broniaco. 47.
Joannes Cajetanus de Urſinis. 29.
Joannes Caravajalis. 69.
Joannes Choletus. 24.
Joannes Columna. 10.
Joannes Columna. 32.
Fr. Joannes Dominicus. 50.
Joannes de Dormanis. 40.
V. Joannes Fiſcherius. 117.
Joannes Franciſcus Commendonus. 152.
Joannes Franciſcus Maurocenus. 172.
Joannes Gropperus. 141.
Joannes Moronus. 132.
Joannes Salviatus. 197.
Joannes de Turrecremata. 67.
Joſeph Aguirrius. *Saenz de Aguirre*. 195.
V. Joſeph Maria de Thomaſiis. 199.
Iſidorus Theſſalonicenſis. 63.
Julianus Caeſarinus. 62.
Julius Antonius Sanctorius. 156.
Julius Mazarinus. 189.

L

LAtinus Frangipanes, vel Malabranca Urſinus. 22.
Latinus Urſinus. 70.
Laurentius Campegius. 102.
Leo Brancaleo. 6.
Lucas de Fliſco ex Comitibus Lavaniae. 27.

B. Lu-

Digitized by Google

B. Ludovicus Alemandus. 59.
Ludovicus Alibretius. *d'Albret*. 80.
Ludovicus Scarampus dictus Mediarota. 68.
Ludovicus Simonetta. 145.

M

MArcellus Cervinus. *Poſtea Marcellus II.* 130.
Marcus Antonius Amulius. 147.
Marcus Antonius Columna. 149.
Marinus Caracciolus. 119.
Matthaeus Langius dictus Gurgenſis. 101.
Matthaeus Rubeus Urſinus. 20.
Matthaeus Schiner. 100.
Melchior Poliniacus. *de Polignac*. 198.
Mercurius Arboreus de Gattinaria. 113.

N

B. NIcolaus Albergatus. 61.
Nicolaus Capoccius. 38.
Nicolaus de Cuſa. 71.
Nicolaus de Fleauvilla, ſeu Farinula. 28.
Nicolaus de Fliſco. 98.
Nicolaus Fortiguerra. 76.
Nicolaus de Romanis. 7.
Nicolaus Schombergius. 116.

O

OLiverius Carafa. 82.
Otho a Caſtro Rodulphi. 16.
Otho e Marchionibus Montisferrati. 12.
Otho Truſches de Waltburgo. 136.
Othobonus de Fliſco. *Poſtea Hadrianus V.* 19.

P

V. PAulus Aretius. 157.
Petrus de Alliaco. *d'Ailly*. 53.
Fr. Petrus Aubuſſonius. *d'Aubuſſon*. 92.
Petrus de Balma. *de la Baume*. 129.
Petrus Bembus. 127.
Petrus Bertrandus Senior. 34.

Pe-

297

Petrus Berullus. 188.
Petrus Capoccius. 18.
Petrus de Corſinis. 43.
Petrus de Fuxio. *de Foix* Senior. 49.
Petrus de Fuxio *de Foix* Junior. 86.
B. Petrus de Lucemburgo. 48.
Philippus de Alençonio. 44.
Philippus Cabaſſolaeus. 41.
Philippus e Ducibus Bavariae. 177.
Proſper Publicola de Sanctacruce. 150.

R

S. RAymundus Nonnatus. 15.
Raynerius Capoccius. 9.
Reginaldus Polus. 124.
V. Robertus Bellarminus. 181.
Robertus de Nobilibus. 139.
Rodulphus Pius Princeps Carpenſis. 122.

S

SBigneus Oleſnicius. 65.
Scaramutia Trivultius. 103.
Scipio Cobellutius. 184.
Sfortia Pallavicinus. 190.
Silvius Antonianus. 180.
Simon de Langhan. 42.
Stanislaus Hoſius. 144.

T

TAlayrandus ex Comitibus Petragoricen. 33.
Thomas Bacoccius. 97.
Thomas de Vio dictus Cajetanus. 104.

V

WIllelmus Enkevortius *Enckevoirt*. 110.
Vincentius Laureus. 167.

Z

ZAcharias Delphinus. 151.

AD-

ADDENDA

PAg. 2. Chunradus de Wittelesbach. *adde* Archiep. Moguntinus.
8. Gregorius de Creſcentio *lin.* 5. obiit = Romae.
16. Otho a Caſtro Rodulphi *l.* 2. = Ordinis Ciſtercien.
30. Bertrandus de Turre *l.* 7. obiit = Avenione.
45. Angelus Acciajolus. *in fine*: Nicolai Acciajoli = Magni Siniſchalci Regni Neapolit.
58. Dominicus Capranica *in fine* = Jacet in Templo S. M. ſupra Minervam celebratus hoc Elogio:

XII. Apoſtolicis. Legationibus. claro pacis. Italiae. in. annos. XXV. conſtitutori. doctrina. religione. &. ſanctis ſemper. operibus. admirabili.

69. Joannes Caravajalis *in fine* = ſepultus eſt ad S. Marcellum cum hoc Epitaphio:

Patrum. ſplendori. virtutum. decori de. religione. atque. omni. Repub. benemerito. Beſſario. Card. Nicaenus. Collegae. pientiſſimo.

77. Alexander de Oliva *in fine* = Sepultus eſt ad S. Auguſtinum.
123. Hieronymus Aleander *in fine* = Tanti Viri nobile monumentum dejectum, & quidem hac noſtra aetate boni omnes deplorant, & indignantur.

ERRATA			*CORRIGE.*
Praefat. lin. 406.		Lectiori	Lectori
Pag. 13.	l. 3.	Aeconitanus	Aconitanus
	7.	Ogniacenſem	Oegniacenſem
57.	13.	A Braccio Montorio juſſu Uladislai Regis	A Bracchio a Montono juſſu Ladislai Regis Neapolit.
115.	17.	Juribus	Negotiis
134.	7.	Brixienſi	B-ixinienſi
161.	8.	Epiſcopi	Archiepiſcopi
163.	7.	Octaviani	De Ottajano
		Coſma	Coſmo
183.	8.	Ablatas	Oblatas
200.	2.	Occitana	Occitania

Siquae alia oculos noſtros fugerint, Lector corriget.

Digitized by Google

210

Z 2-73

Digitized by Google

211

Digitized by Google

d.p.Restauro s.n.c.

Intervento di restauro, segnatura 2-79

- collazione
- spolveratura e pulizia a secco
- rammendo alla piega e imbrachettatura (velina giapponese Vang 25502)
- integrazione lacune e strappi (carta giapponese Vang 25502 e Japico 632660)
- spianamento
- cucitura su 5 nervi (filo in cotone, corda di canapa)
- fogli di guardia struttura F (carta Vang 20231)
- prima indorsatura (carta giapponese Vang 25517)
- capitelli (lino naturale, cotone colorato)
- seconda indorsatura lino, cuoio sfiorato
- piatti (cartone fibrato tipo Avana)
- compensazioni in cartoncino durevole per la Conservazione Fabriano
- coperta in tutta pelle (capra a concia vegetale)
- doratura diretta
- collanti per operazioni di rattoppo, imbrachettatura e indorsatura Tylose MH300P al 4% e 6%
- collanti per la legatura Tylose MH300P al 6% (80%) e Plextol B500 (20%)

[redacted]

Digitized by Google